




✓ 20291.V.Fg





CALENDARIUM NOVUM
AD
BENE MORIENDUM PERQUAM UTILE.


Excellētissimis Re-
verendissimis Illustrissimis
Per illustribus Prænobilibus Nobilibus
DD. sub titulo

BEATISSIMÆ
VIRGINIS

MARIÆ
IN COELOS
ASSUMTÆ,

Sodalibus in Xenium
oblatum Labaci.

LABACI, Typis Joan. Georgij Mayr.



ACTVLLA


BAIKA

201800

11M

GRUPO

030038989



PRÆFATIO ^{AD} LECTOREM.

Perfrequens tibi est, pro negotijs disponendis Calendarium consulere; ut scias, quis qualisve dies sit, an Cœlum faveat, &c. Negotium habes omnium negotiorum MORI, è quo felix, vel infelix pendet æternitas. Huic disponendo, ecce Calendarium novum! in hoc enim negotio vel maximè necesse est observes, quali moriaris die, fasto; an nefasto, & an cœlum faveat. Mori quidem naturæ est; sed artis est, bene mori. Hanc ut discas, dies singulos observa: nam ars bene moriendi hoc uno traditur præcepto: Ad mortem te bene præpara. Ut autem ad incertam diem bene sis paratus, fac

PRÆFATIO.

omni die sis paratus. Pro quo Calen-
darium hoc consule: in eo uti reperies,
nullam esse diem, quā mori non possis;
ita nullam esse, quā mori non possis be-
ne. Dies hic nefastus, nullus est, nisi
quem tu ipse feceris morte infelici (O
tuā quidem culpā) nefustum. In Ca-
lendarijs cæteris sāpe non favet cælum
negotijs bene conficiendis; ast in novo
hoc Calendario semper favet. Sidus
quotidie propitium oritur; quo si uta-
ris, quod optas, facile consequēris: hoc
est: assignatur quotidie è Divis ali-
quis, quem si imiteris, si colas, si invo-
ces, non decrit morienti. Quid enim
est ad mortem se bene præparate,
quām bene vivere? Quomodo au-
tem melius vives, quām si vestigijs,
quibus Sancti ad bene moriendum
abiérunt, insistas? si devoto eos cultu
amicos tibi facias? si roges, ut Patro-
ni assistant? Quām laboras, ut spiri-
tualem tibi Patrem eligas & concilias,
qui in agōne te languentem excitet, lu-
gantem erigat; & si nactus es virum
fer-

PRÆFATIO.

ferventem, pium facilem, promptum,
industrium, & negotij tam ardui ex-
pertum, magnam felicitatis parem te
assecutū opinaris. Laudo, non impro-
bo. Sed quanto felicior eris, si habue-
ris è Cœlitibus, qui tibi, assistat morien-
ti! quem millenos inter reperias pi-
um, facilem, promptum, ferventem,
industrium magis, quam qui, quod
ardentissimo Divini Amoris Oceano
totus est immersus, & vult opitulari,
& quod vult, potest? imo, quod ma-
ximum est, quem reperias negotij tam
ardui magis expertum, quam qui ex-
perientia didicit propriā, quam sit
pericolosum mori, & tot inter insi-
dias, bene mori? Ejusmodi non
unum, sed plurimos Calendarium
hoc proponit, quos tibi concilies. Et ne
causeris temporis angustias, quæ lon-
giores meditationes & precas sæpe non
permittunt, è sancti alicujus diei cu-
jusvis gestis aliquid excerpti, & com-
mendationem ad ipsum Divum cum
contritione adjunxi. Manè, prius-

quam

PRÆFATIO.

quam ad alia te negotia conferas, pro
negotio omnium maximè agendo in-
spice Calendarium, & quod illius diei
Sanctum fecisse leges, imitari per diem
seriò propone: deinde toto cordis affe-
ctu Sanctum ipsum pro felici morte
Patronum roga. Idem sub finem sacri,
cui interes, & saepius per diem, &
priusquam vesperi decumbas, præsta-
re, non erit perniciosum. Et, ne du-
bita, sic bene ad mortem te præ-
parabis.

Tantillam rem, an facere gravabe-
ris pro tua salute? non spero: scio
enim, quam velis bene mori. Age
igitur, salutis tuæ cupidus, Calenda-
rium hoc tibi familiare, & utile red-
de, & DEUM pro me ora.

N.N.

Omnia & singula de Sanctis in hoc
libello dicta intelligo, & intelligi volo
juxta Decretum URBANI VIII.

5. Junij, 1631.

JANUA-



JANUARIUS.

I. JAN.

JESUS octavo à Nativitate die circumcisus sanguinem copiosè fudit. O quantos sanguinis imbræ vita vespera dabit, si aurora ejus crux tam multo rubet! Tua scelera, ô Homo! culter erant (verè saxeus) qui JESUM infantem sic sauciavit.

OJESU, Fili MARIÆ, annorum vitæ meæ, & totius æternitatis sanctissimum centrum, da prænovo anno teipsum mihi, & me tibi, ut ita Nomini tuo serviat annus hic meus, omnes anni mei, menses, hebdomadæ, dies, horæ, minuta, & momenta vitæ & mortis meæ, ut singula tua sint, & omnia tuis meritis unita influant in Divinum Oceanum facrosanctæ æternitatis tuæ, ut felici morte annostempo-

A

ris

2 JANUARIUS.

ris mei concludam , & simul in-
choëm , nunquam finiendos annos
illius gloriæ , ad quam me creâsti,
utque illam haberem, factus es JE-
SUS, Amen.

Hoc idem mihi impetrare omnes
Sancti, quos felici morte defunctos
hodie felici æternitate donavit
DEUS.

Omnes Sancti mei nominis, &
meæ patriæ , ac Patroni mei men-
strui omnes.

Omnes Sancti , quibus sacra est
illa , quæ mihi nascenti prima fuit
dies.

Omnes Sancti , quibus sacra est
illa , quæ mihi morienti ultima erit
dies.

Omnes Sancti , & Sanctæ DEI ,
tūque O MARIA Mater agonizan-
tium, ora pro me, & omnibus ho-
die nascentibus, & hodie agonizan-
tibus. Impetrare mihi à Crucifixo
JESU felicem mortem, & beatam
æter-

JANUARIUS.

3

æternitatem, Amen. Credo, spero,
amo, adoro te, pulcherrime ac
optime super omnia DEUS meus!
& ideo doleo, ac desidero plus do-
lere & confiteri. Doleo super om-
nia, quod te tam ingratus offendes-
tim. DEUS meus & omnia. In
gratiarum actionem, & satisfactio-
nem, offero tibi hujus diei & vitæ
meæ totius actiones, atque mo-
menta singula.

Nota, hæc clausula quotidie
repetitur.

2. JAN.

S. Macarius plenus sanctarum
lacrymarum senex, & semper ad
DEUM vigil, ad seipsum inquiebat:
Anime mi, ne te in terras è cœlo
demitte; ibi DEUM, & cum DEO
DEI aulam omnem habes. Toto
septennio cocti nihil in cibum ad-
misit, quadragesimam sinecibo, vi-
ginti dies sine somno transegit. Pro
castitate sex menses nudum se culi-

cum aculeis exposuit. Centenarius denique obiit. Vis diu tibi, & DEO vivere? corpori parum indulge.

S. Macari, per lacrymas, per jejunia, per puritatem, ac preces tuas omnes, rogo, doce me animum nunquam è cœlo demittere, ut tandem beatâ morte animam meam è terris in cœlum emittam, ibi DEUM, & cum DEO DEI omnem aulam habiturus. Hoc idem mihi impetrare omnes Sancti &c. ut suprà pag. 2.

3. JAN.

S. Genovæ quòd templa frequentaret, mater alapam, matri cæcitatem inflixit DEUS: quam pia filia sustulit. Per hebdomadam non nisi bis cibum, vinū virginitatis venenum nunquam admisit. Hinc cœlum quoties aspexit, illa lachrymis, hoc gaudijs fluere est visum.

Sancta Virgo ora pro me, ut illuminet cæcitatris meæ tenebras
JESUS:

JANUARIUS. 5

JESUS: ut ex his tenebris ad æternum gloriæ lumen transeam. Hoc idem mihi impetrare omnes SS. ut suprà pag. 2.

4. JAN.

S. Titus, Pauli Discipulus, Virgo vixit. Morientis facies jam gloriosa cœlesti lumine radiabat. Vitam in laboribus pro animarū lucro actam ubi posuit, Animam cœlo Angeli invehentes jussérunt quiescere. Sic Virgines & Apostoli moriuntur.

S. Tite, roga pro me JESUM, ut in hora mortis illuminet vultum super me, ne hora mortis meæ sit potestas tenebrarum, sed ut cum Angelis lucis videam faciem DEI. Hoc idem mihi impetrare omnes SS. ut suprà pag. 2,

5. JAN.

S. Eduardus in Angliæ Regem à S. Petro undatus, conjugio Virginitatem copulavit. Mendicū ægrum (pium onus) humeris regijs ad

aram portavit, & sanavit. Undâ, quâ manus ipse lavit, cæci tenebras suas eluerunt. Sub sacro præsenti ipse **ex ara JESUS** benedixit. S. Joannis Evangelistæ amore rogantibus nihil negavit: quo dein nuntio mortis suæ horam didicit. Mortui corpus, uti & anima viventis, corruptionem non vidit.

S. Eduarde, impetra mihi, ut sic vivam JESU meo, ut & in morte, & in Judicio supremo mihi benedicat JESUS, & ego deinde unâ tecum æternum benedicam JESUM. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. JAN.

SS. Tres Reges è Regnis suis Bethlehenum abiérunt, ut Christo nato dicerent Sacramentum: ne aberrarent, stellam ducem addidit cœlū. Nevereduces in Herodis irati manus inciderent, è cœlo moniti per aliam viam regna revisunt. Sic superis curæ est, qui Superos curat.

O Sancti Tres Reges, Melchior,
Gaspar, Balthasar, pro me orate, ut
cœleste lumen sic per vitæ hujus
pericula sequar, ut ad Christū, cui
Sacramentū in Bapismo dixi, in æ-
ternitate beata securus pertingam.
Hoc idem, &c. pag. 2.

7. JAN.

S. Raymundus nobilis Hispanus à
puero MARIÆ devotus: adultus in
eius Annunciationem augustiūs ce-
lebrandam etiam liberalis. In D.
Dominici cætum admissus M A.
RIÆ monitu pro liberandis vincit
Sodalitatē erexit, Angelo suo usus
excitatore, ut surgeret ad preces, &
pallio, ut per mare navigaret.

Sancte Raymunde, qui jam es in
portu æternitatis, & potentissimus
es apud JESUM & MARIAM ora-
tor; ora pro me, ut ita JESU & MA-
RIÆ cor meum & omnes vires li-
beraliter impendam, ita Angelo me
ad sancta excitanti paream, ut me

suprema Angeli tuba à somno mortis excitet ad æternū laudandum
DEUM meum. Hoc idem, &c.
 pag. 2.

8. JAN.

S. Laurentio Justiniano 19. anno
 Sapientia divina osculum tulit , &
 omnis ei mundus desipuit. Episcopus , Pater Pauperum est factus dic-
 cens : Cœlo excludendos divites ,
 nisi Janitores pauperes corrumpe-
 rent. Moriturus lectum respuit ,
 quod Christus objisset in cruce:que
 ut vacuus meritis quis Judicem non
 horreret , Crucem ejus comple-
 tendarum ajebat.Crux arrha salutis.

S. Laurenti Justiniane , ora pro
 me verè meritis vacuo , ut vacuita-
 tem meam in die mortis & judicij
 impleant infinita merita crucifixi
 Judicis mei JESU Christi. Hoc
 idem , &c. pag. 2.

9. JAN.

SS. Julianus & Basilissa conjuges;
 quod

quod cogitarent jungere Virginitatem nuptijs, adfuit cum MARIA JESUS, & animos addidit, dum utriusque nomen libro vitæ scriptum ostendit. Hæc Virgo, ille Martyr obijt. Tales convivas meretur Virginitas.

Orate pro me, ut omnes dæmonis versutias vincam, & sic ad æternam gloriam me præparem, ut inscribar & ego libro vitæ, & nullo me unquam peccato deleam. Hoc idem, &c. pag. 2.

IO. JAN.

S. Martianus Confessor orationem suam jejunijs & eleemosynis reddebat alatam. In opem de die obvium nullum vacuum dimisit; noctu per urbem, quibus daret, quærebat. Vestem, præter quam unam tum habebat nihil, pauperi dedit, & recepit è cœlo auream. Da pauperi, qui DEUM cupis debitore.

Ora pro me, ut & ego memorti

A s meæ

TO JANUARIUS.
meæ per corporalem & spiritualem
Eleemosynam ita parem , ut cùm
anima corpus hoc, velut vesté exu-
erit, aurea & nuptiali æternitatis
veste induatur. Hoc idé, &c. pag. 2.

II. JAN.

S. Theodosius Abbas in se rigidus,
paucis panibus centum & amplius
mensas pavit : grano uno granariū
totum implevit. Militum Duci ejus
cilicum pro lorica fuit. Basilio è
suis Monacho mortem suavissimā
impetravit. Indulget ijs DE US ,
quod petunt , qui sibi nihil indul-
gent.

O impetra mihi mortem sanctā :
impetra, ut ita meum corpus & ani-
mam ad illum transitum disponam,
ut omnia , quæ corpore vel anima
ago, sint mihi solario morienti. Hoc
idem , &c. pag. 2.

I 2. JAN.

S. Arcadius Martyr , ut Christū
servaret, fortunas dimisit & latuit ;
ut

JANUARIUS.

ii

ut verò amicū sui loco captum audiit, Tyranno se stitit, solâ patientiâ tectus, & pro Christo simul & amico servando manus, pedesque præbuit resecандos. Ut vincas, satis est, si Christum habeas.

Ora pro me, ut ita DEUS manus meas doceat ad prælium, ita dirigat gressus meos in viam æternitatis, ut nec manus mea, nec pes meus me scandalizet; sed totum corpus meum & anima mea tota Deo meo serviat, ut in æternitate possideam totum DEUM meum. Hoc idem, &c. pag. 2.

I 3. JAN.

S. Godefridus Cappenbergensis
comes humana omnia posthabuit,
ut certius haberet cœlum. Conjugem
inter sanctimoniales, se inter
Divi Norberti Canonicos transtulit.
Cœli cupidus, dissolvi identidem
cupiens, moriturus obvium habuit
cœlestem chorū : mortuus nep-

A 6

ri

ti multa luce coruscus apparuit.
Vis à D E O honorari ? mundi ho-
nores fuge.

S. Godefride precibus tuis ad il-
lam gloriam cœlestem & coronam,
ad horam mortis sanctæ , ad quam
tam sollicitè anhelasti , me apta : &
juva, ut sic per temporalia transeā,
ut non amittam æterna. Hoc idem,
&c. pag. 2.

14. JAN.

S. Felix Nolanus vinculis , quæ
pro fide tulit , ab Angelo fuit ex-
emptus. Latenti telas araneæ pro
muro contra hostes texuerunt , &
Angeli sex menses cibum ministrâ-
runt, & solatio fuerunt. Tutissimus
ubique est , quem DEUS tuetur.

Defende me,S. Felix,contra per-
secutores,in mortis articulo animā
meam ad mortem æternā quæsitu-
ros: oppone tecū Angelo tuo murū
pro me; recrea me,ut in æternitate
felici sim tecum æternūm felix.Hoc
idem,&c, pag. 2.

15. JAN.

15. JAN.

S. Paulus Eremita , quindecim annos natus eremum subiit : ibi ad centesimum decimum vitæ annum palma eadem eum vestit & pavit. Corvus annis sexaginta indies panem ei medium , at cum Antonius adesset , integrum tulit. Flexis genibus orans exspiravit : animam inter Cœlites cœlum petere vidit Antonius. Tumulum , in quo humaretur , leones duo effoderunt. Securum iter est è cella in cœlum.

S. Paule , ora pro me , ut tales hic socios amem , qui me ducant , vel quos ergo ducam illuc , ubi es: ora , ut orem bene , & inter bonos melior , inter malos bonus vivam , & moriar bonus , eamque ad illos choros , inter quos te vidit Antonius. Hoc idem , &c pag. 2.

16. JAN.

S. Furseus Anglus C. in cœlum raptus ab Angelis , qui vel dæmo-

num jacta in eum tela clypeo excipiebant, vel crimina objecta diluebant. Iuslūs ad corpus rediit, ut Orbem, quem viderat perfidiā, discordiā, avaritiā, & crudelitate ardere, corrigeret. Correxit decenni labore, & ad æternam quietem abiit. Quietem hanc non speret, qui non laborat.

Ora pro me Anglice Apostole, ut & me, & alios à mundi & inferni flamma cœlo servem, & cœlestes Angeli me scuto suo à dæmonum igneis jaculis protegant, nunc, & in hora felicis mortis meæ. Hoc idem, &c. pag 2.

17. JAN.

Sanctus Antonius Ægyptius Confessor, ut perfectus esset, quod in templo audiit, Juvenis omnia vendidit: & dedit pauperibus. Charismata, quæ in alijs meliora vidit, est æmulatus. A dæmonibns mirè tentatus, sed vicit, quia vigil: laqueis

queis mundum plenum vidi; sed
evasit, quia humilis. Fac simili-
ter, si vis similiter vincere.

Ora pro me S. Antoni, ut sem-
per vigilem, & humilis sim, quò &
dæmones vincam, & mundi la-
queos evadam: & laqueo contrito
liberer, adserárque in libertatem
filiorum DEI. Hoc idem, &c.
pag. 2.

18. JAN.

S. Prisca Romana, Virgo nobi-
lis, tredecim annos nata, verberi-
bus operta, ferventi adipe delibu-
ta, leonibus objecta, triduanâ ine-
diâ afficta, in equuleo ungulis fer-
reis cruciata, rogo accenso injecta,
sed illæsa. Tandem vocante per
Angelos sponso capite plexa ad nu-
ptias evolavit. Cadaver, ne mo-
dò læderetur, ab Aquilis custodi-
tum. Vis omnibus his altior esse?
esto Virgo.

O tenerissima, & fortissima Vir-
go,

go, per illa mortis tuæ instrumen-
ta, doloribus quidem, sed & gloriâ
plena, te rogo, juva me, ut per
mortis meæ dolores sic transeam,
ut mortis æternæ dolores evitem,
& ad gaudiorum illorum æternita-
tem ducar, ubi tu cum Virginum
Sponso gaudes. Hoc idem, &c.
pag. 2.

19. JAN.

S. Abundantiæ Virgini nascenti
& morienti, ultrò campanæ ap-
plauferunt, & ultrò, cùm baptiza-
retur, in templo lampades accen-
ſx. Octennis tam familiaris fuit
JESULO, ut aureum ab eo pomum
acceperit, & vicissim flores hiber-
nos porrigeret. Tam pulchra est
casta generatio, ut & Superos in
amorem sui trahat.

Ne quæſo, ô DEO tam chara
Virgo, mei morientis obliviscere
inter æternas tuas delicias apud JE-
SUM tuum & MARIAM. Ora il-
los,

los, ut lætitiam Angelis creet mea
mors, non dæmonibus: ut in tem-
plo sancto gloriae suæ DEUM meū
unā tecum benedicam, æternūm
benedictus. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. JAN.

S. Sebastianus sub Diocletiano
Imperatore miles, sed Christianus,
multos ad fidem convertit, multos
firmavit. Unde è cœlo audijt :
nunquam non mecum eris. Prop-
ter Christum sagittis meta factus,
& metam sanctam attigit DEUM,
apud quem pestiferorum est Advo-
catus. Multa potest apud DEUM,
qui pro D E O patitur multa.

Tuis quæso precibus, sancte Se-
bastiane, apud DEUM effice, ut
plus luem animi, quam corporis
horream; ut ita omnia in DEI ocul-
lis faciam, ut in vita, in morte, in
æternitate semper sim cum D E O, &
experiari illud: Nunquam non me-
cum eris. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. JAN.

21. JAN.

S. Agnes tredecim annos nata, tam chara fuit Christo, ut eam annulo sibi subarrhârit, & Angelum addiderit, qui cœlesti eam cyclade texit, ne à lenonibus videretur. Hinc impolluto calle carnis spurcias transivit, & gladio tranfixa, lucidas Sponsi sedes accepit. Agnetem imitare, qui vis amari ab Agno DEI.

Tibi gratulor felicitatem tuam, ô B. Agnes! Ora & pro me illum, cui jam juncta es in cœlis, ut ne sinat me ire in tenebras exteriores; verùm, etiam me in lucidas illas sedes accipiat. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. JAN.

S. Vincentius Martyr in craticula, inter verbera & equuleum, inter prunas ardentes & ferreos ungues, inter candentes laminas & testacea fragmenta pro Christo constitut, Angelo confortante. Sacrum

erum ejus cadaver abjectum contra
aves & lupum defendit corvus.
Quem DEUS defensum cupit, quis
lædat?

Sancte Vincenti Divi Laurentij
æmule, patriâ, doloribus, gloriâ,
solare me in supremo lectulo ad
mortem jacentem: ut æternis pru-
nis stratum lectum evadam, tecum-
que in beata æternitate quiescam.
Hoc idem, &c. pag. 2.

23. JAN.

S. Joannes, Vir misericordiarū,
unde & Eleemosynarius dictus,
mortuus à S. Petro in æternam cœ-
li mansionem induci visus est. Spe-
ras misericordiam in cœlis? esto mi-
sericors interris.

Doce me S. Joannes erga egen-
tes miserationem, ut liberaliter vel
ope corporali, vel precibus, con-
silio, modis omnibus omnes juvē,
quos à me juvari vult DEUS: ut mo-
rienti mihi sit Pater misericordia-
rum

rum DEUS meus, simque beatus
inter misericordes, & æternam mi-
sericordiam consequar. Hoc idem,
&c. pag. 2.

24. JAN.

S. Babylas M. vinculis ligari pro
Christo vivus non horruit, & de-
collatus, vincula non dimisit, ut
semper Christo conjunctus esset.
Dum vincimur pro Christo, nobis
Christuni devincimus.

Impetra mihi sancte Christi Mar-
tyr, ut voluntas mea sic DEI volun-
tati sit semper conjuncta, ut seu vi-
vam, seu moriar, libenter patiar,
quidquid vel pro Christo, vel à Chri-
sto patiendum occurrit. Et hæc sit
mea ad mortem præparatio, in
morte solatium, in æternitate co-
rona, maxima & minima pro Chri-
sto libenter, & cum gratiarum
actione fuisse perpeßsum. Hoc
idem, &c. pag. 2.

25. JAN.

S. Pau-

S. Paulus è Saulo conversus, ex persecutore factus Apostolus, ex lupo agnus, ex vase iniquitatis Vas electionis, quod portaret nomen JESU coram gentibus. Vis ita converti, dic verè cum eo : Domine, quid me vis facere ?

Ora pro me S. Paule, ut ante mortem sic convertar, ut faciam, quod me vult facere DEUS, JESUM opere & verbo portem coram hominibus, ut me morientem per Angelos suos JESUS portet ad Regnum suum. Hoc idem, &c. pag. 2.

26 JAN.

S. Polycarpus, S. Joannis discipulus Marcionem hæreticum Satanæ primogenitum dixit : igni additus gratum DEO odorem dedit, cum diceret, nolle se Christo maledicere, qui sibi semper faceret bene. Qualem putas peccatori dat odore?

Sancte mi! ora, ut nullus Satanæ minister, nemo improbus, ne ipse qui-

quidem Satanas mihi seu viventi, t
seu morienti nocere quidquam pos- t
sit. Commenda me Magistro tuo
Joanni, ut ille spiritum tunc meum,
cum exspiravero, deponat in eo, in
quo ille quievit, sinu DEI JESU.
Hoc idem, &c. pag. 2.

27. JAN.

S. Joannes Chrysostomus velut
Elias à Jezabele, plurima passus ab
Eudoxia. Ei SS. Petrus & Joannes
scripturas aperuerunt : scribentis
Paulus adfuit, sacrificanti Spiritus
Sanctus, morituro S. Basiliscus M.
ad cuius corpus orans audijt: Joan-
nes frater, crastinus dies nos loco
conjunget : & SS. Viatrico munitus,
est conjunctus. Beatus qui non abiit
in consilio impiorum.

S. Joannes, aperios tuum aureū
pro me apud DEUM, ut ego in vita
Sanctorum muniar præsidio, & in
morte eorum solatio confirmem: ut
sine Viatrico non discedam, & mor- tis

tis meæ dies nos loco conjugat æternum. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. JAN.

S. Jacobus, dictus pœnitens, quadraginta jam annis in eremo & abstinentia, & miraculis admirandus; in horrendum carnis & homicidij scelus prolapsus. Sed pœnitens toto decennio inter ossa mortuorum se vivus sepelijt: quot hebdomadis non nisi bis radicibus refectus, donec sepulchro suo immoreretur. Qui stat, videat, ne cadat.

O sancte Jacobe, precibus tuis mihi impetra, ut timore & amore suo carnes meas configat DEUS, ut cum tremore semper operer salutem, & quæram æternitatem meam: ut aut nullius peccati reū, aut certè pœnitentem me vita mea morti meæ, & mors mea æternitati meæ sistat. Hoc idem, &c. pag. 2.

29. JAN.

29 JAN.

S. Constantinus Ep. M. per aqua
ferventis balnei, & ignem victor
transivit, & ab Angelis est curatus
post mortem obitam cadaver di-
vino monitu quæsitum, Angelori
choris circumseptum est repertum.
Bene cœptis constanter insiste, qui
Angelis vis charus esse.

Adesto & mihi unà cum Angelis
tuis, ut per mundi hujus tribulatio-
nes velut per ignem & aquam vi-
ctor vivens & moriens illuc abeam,
ubi unà tecum & cum Angelis æter-
num cantem: Gloria Patri, & Filio
& Spiritui sancto. Hoc idem, &c
pag. 2.

30. JAN.

S. Martina V. & M. effusa in ege-
nos opulenta hæreditate cœlum te-
nuit: unde & terrenis blandimenis
& terriculamentis superior fuit, &
è cœlo impetravit, quod voluit Dū-
demum & vitam, quam unam reli-
quam

quam habebat, dedit, voce cœlesti est invitata ad cœlum. Vis ad cœlum invitari? dimitte terram.

Ora pro me S. Virgo, ut si non re, animo saltem sic omnia terrena dimittam, ut invitari etiam merear ad cœlum; & tremenda illa mortis hora sit mihi æternæ beatitudinis principium. Hoc idem &c.
pag. 2.

31. JAN.

S. Marcella Romana è nobilissima & ditissima pro Christo pauperima facta, unde cœlestibus solatijs tam repleta fuit, ut fustibus & flagellis cæsa gratias ageret. Adfunt cœlestia, ubi absunt terrena solatia.

O S. Marcella, Viduarum exemplar, ora pro me, ut tempestivè relinquam, quidquid mihi morienti molestum esse potest: omniaque ac singula ita agam, quasi in ipso opere sim moriturus. Hoc idem,
&c. pag. 2. B FEB-



FEBRUARIUS.

I. FEBR.

Sanctus Ignatius Antiochiae Episcopus pro Christo vincitus, ad bestias damnatus ajebat: Nunc incipio Christi esse discipulus. Ignis crux, bestiae, tota tormenta Diaboli in me veniant, tantum ut Christo fruar. In ejus corde post mortem repertum est nomen IESU; hinc ajebat, non posse se aliud loqui, quam JESUM. Ex abundantia cordis os loquitur.

S. Ignati, inscribe & mihi nomen IESU, ut constanter assuescam inter prospera & adversa elevata ad JESUM & MARIAM corde ignita in cœlum amoris jacula evibrare, & sic vel nunc incipiam esse Christi discipulus: ut & vitâ meâ & morte meâ JESUM & MARIAM

lau

Iaudem , amem æternūm. Hoc
idem , &c. pag. 2.

2. FEBR.

Postquam impleti essent purga-
tionum dies, ingressa MARIA tem-
plum , JESUM per manus Simeo-
nis Patri æterno obtulit : & gla-
dium doloris per Simeonis vatici-
nium recepit. DEO charus non
est, quem non affigit.

O purissima Domina mea, dul-
cissimum amarissimi agônis sola-
tium ! da morienti mihi JESUM,
& sic me servum tuum cum Simeo-
ne in æterna pace dimitte. Non
recuso longum illum purificationis
meæ diem in purgatorio ; mallem
tamen DEI amore, quam pro pœ-
na culparum illum pati. Nunc igi-
tur illumina me, accende me , &
purifica me Hoc idem, &c. pag. 2.

3. FEBR.

Sanctus Blasius Episcopus nec
minis , nec blanditijs adduci po-
B 2 tuit,

tuit, ut dijs sacrificaret: tandem
virgis cæsus, & in equuleo ferreis
pectinibus laniatus caput pro Chri-
sto dedit, ut ab Angelis coronare-
tur. Nemo coronabitur, nisi qui
legitimè certaverit.

S. Blasi, ora pro me, ut ita in
hac vita inter diaboli tentationes
certem, ut felix hinc ad coronam,
non ad pœnam egrediar; & intrem
in gaudium Domini tui, ac mei.
Hoc idem, &c. pag. 2.

4. FEBR.

S. Theophilus Confessor, ut
officio restituueretur, DEO, Deique
Matre ejuratâ, dæmonis fit man-
cipium, sentiens fœditatem crimi-
nis, quadraginta dies noctésque
MARIÆ supplex, recipitur in gra-
tiam, & triduo post felix in tem-
plo animam exspirans, per MA-
RIAM in cœlum intromittitur.
Vis cœlum intrare, ad MARIAM
pulsa; MARIA cœli Janua est,

S. Theo-

S. Theophile, pulsa pro me cœli Januam MARIAM, ut dum vi-
vo, constanter MARIÆ, & ejus
Filij mancipium permaneam, &
moriturus eam habeam propitiam,
& per ipsam in gaudium Domini
introducar. Hoc idem, &c pag. 2.

5. FEBR.

S. Agatha Virgo eligens humili-
lem & servilem Christianorum vi-
tam præ Regum opibus & superbia,
& malens Virgo mori, quām nupta
vivere, colaphos, candentes la-
minas in equuleo, acutas testas,
vivos carbones, & mamillam ab-
scindi sustinuit. Tandem inter pre-
ces ad cœlum migravit. An non,
qui se humiliant, exaltantur?

S. Virgo & Martyr Agatha, tuis
precibus mihi impetra, ut dum vi-
vo, eligam potius cum Christo hu-
miliari, quām cum mundo regna-
re, & ita merear exaltari in cœlis,

ubi tecum , & cum Christo æternum regnem & triumphem.

SS. Joannes, Jacobus, & Paulus, veri JESU socij, pro quo cum alijs pluribus Nangasachi in Japoni crucifixi sunt & lanceis confossi. Qui Christi esse cupiunt, crucifig non timeant.

Orate pro me SS. Martyres, uiuivus & moriens Christo confixus sim cruci: obediens illi usque ad mortem: laudans illum etiam post mortem in beata Crucis amicorum ac discipulorum æternitate. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. FEBR.

S. Dorothea V. & M. post tormenta ad gladium itura risit, quia ad Sponsi hortos se abire ajebat: risit hæc Theophilus Scholasticus, & è Sponsi illius horto recentes in Februario rosas, flores & poma petit: misit illa mox per cœlestem ephebum, & in Sponsi odorem Theo-

Theophilum traxit. Tam dulce cœlum est , ut qui illud cogitat, tormenta rideat.

Sancta Virgo , ora, ut per spinas & molestias vitæ hujus penetrem ad æterna illa viridaria Sponsi tui, ubi sim æternum Theophilus ; hoc est , DEI amans in paradiſo DEI mei. Hoc idem , &c. pag. 2.

7. FEBR.

Sanctus Theodorus Martyr Iares , quos Licinius Imperator ei adorandos obtulit, confregit , & pauperum prædam fecit : ideo in crucem actus , puerorum sagittis est scopus factus : sed solutus ab Angelo, gladio cecidit. Priusquam in pugnam descenderet , audijt e cœlo : Macte Theodore : ego tibi adero. Esto cum DEO, ut DEUS tecum sit : & securus eris.

Adesto mihi morienti unà cum Angelo tuo , sancte Theodore , ut igneæ dæmonum sagittæ mihi non

noceant: & pro me ora, ut in supremo mortis agone semianimem me animent JESUS & MARIA: ut vincam, & vobis cum sim in beata æternitate. Hoc idem, &c. pag. 2.
8. FEBR.

S. Marina V. cum Patre asceterium ingressa Marinus audijt. Accusata tamen à puella stupri illati, tacuit: septis religiosis ejecta, & quinto post anno recepta calumniam tulit, usque dum mors deteravit, quæ Marinam detexit. Innocentia premitur, non opprimitur.

O S. Virgo, impetra mihi, ut non timeam ab humano, timeam autem à divino judicari die: & possideam in patientia innocentem animam, & innocens compaream pro tribunalí DEI, qui judicabit & illum, qui patitur, & illum, qui infert injuriam. Ille innocentem dicat, & habeo satis. Hoc idem, &c. pag. 2.

9. FEBR.

9. FEBR.

S. Apollonia V. sub Decio , ut Christum teneret ; passa est sibi è malis confractis dentes evelli. In rogum insuper , quem minabatur lictor , ni Christum abjiceret , sanctiore intus igne inflammata seip-sam injecit , & in cœlum evolavit. Bene perdit corpus , ut non perdat animam.

Ora pro me S. Virgo , ut bene penetrem , præstare , ut hîc patiatur corpus momento uno dolorem parvulum , quâm post mortem cum anima dolores maximos & æternos. Ora , ut hîc bene patiar , & bene moriar : ut ibi vivam ætar-nûm , ubi nihil molestum patietur corpus , vel anima. Hoc idem &c.
pag. 2.

10. FEBR.

S. Austreberta Virgo , ut Christo Sponsa fieret , nuptias fugâ elu-sit : aquas , ne fugam sisterent , ca-

sto & sicco pede transivit. In Cœnobio Pauliacensi Virginum Mater, animam agens, quos aliæ Cœlites in auxilium vocabant, obvios vidit. Dum vivis, Cœlites cole, & vocatos obvios habebis; dum morieris.

Te, ô S. Virgo, nunc cum illis invoco: adsis mihi in illo punto, in quo vertitur omnis cardo spei meæ. Ad sint tecum ij, qui tibi morienti adfuerunt Cœlites, & Cœlitum omnium Rex JESUS, Regina MARIA: quos ego unà tecum cupio, ut cum illis merear DEUM æternum videre. Hoc idem, &c. pag. 2.

II. FEBR.

S. Victoria Virgo bis triumphavit: semel, cùm mortali sponso in amplexus ruente, è summo tecto præceps abiens in templum, seque DEO devovens Hymenæum vicit. Iterum cùm pro Christo mor-

FEBRUARIUS.

35

mortem obiens vicit Diocletianum & Maximinianum Impp. Sic triumphans in terris, quidni triumphet & in cœlis?

Tuis me precibus fulci, ô Victoria, ut pro anima mea & Christi honore pugnans semper vincam, & maximè, quando in ultimum agonem descendam, ut viator abeam ad æternos triumphos. Hoc idem, &c. pag. 2.

I 2. FEBR.

S. Antonius Episc. primas litteras à Spiritu S. didicit, cui pro Mînervali se ipsum dedit, cùm DEI cultui se totum inter Monachos dedit: in quam virtutis scholam è mundo & Patrem pellexit, qui grandævus à filio vitæ sanctioris rationem didicit. Nemini hic Magister deerit, nisi qui sibi ipse defuerit.

Sancte Antoni, ora Magistrum tuum pro me, ut illa, quæ nescio,

ita me scire , & illis , quæ scio , me
sic uti , ita vivere ac mori doceat ,
prout verum Spiritus Sancti disci-
pulum decet . Hoc idem , &c. pag. 2.

13. FEBR.

B. Jordanus è D. Dominici fa-
milia , sic B. Virgini familiaris erat ,
ut non semel ipsa sceleratos ad istū
mitteret persanandos : quam ipse
vidit in ara prehensa filioli manu
ad illa verba (Gloria Patri , &c.)
omnibus benedicere . Vis à Virgi-
ne benedici ? non cessa de ipsa &
filio dicere bene .

B. Jordane , ora pro me Virgi-
nem inter mulieres Benedictam , ut
mihi viventi & morienti , seu re-
pentè , seu aliter moriar , etiam ip-
sa cum prole pia benedicat . Hoc
idem , &c. pag. 2.

14. FEBR.

S. Auxentius Abbas in Concilio
Chalcædonensi verbis & miraculis
Divinitatem Christi , & Christiparæ
Virgi-

Virginitatem propugnavit. Tantæ fuit patientiæ, ut scaturientes è tabido corpore vermes, si exciderent, ceu gemmas reponeret. Cœlo non est aptus, quem non patientia aptat.

Doce me S. Auxenti, ut pretiosos faciam dolores, qui mihi per vitam omnem evenient: ut ita habeat coram DEO pretium omnis actio mea, vita mea, mors mea. Sciam obsecro pati, sciam vivere, sciam mori. Hoc idem mihi impetrat sancte Valentine Episcope pro Christo capite plexe, nunc Epilepsia Thaumaturge, & vos, &c. pag. 2.

15. FEBR.

S. Faustinum Sacerdotum & Iovitam Diaconum, fratres acerbissimi tormentis per totam Italiam, igne, bestijs, mari gloriosos, Brixia, quæ eos genuit, gladio coronavit. In carcere, dum alijs SS. Euchariostiam ministrârunt, ipsis Angeli mi-

nistrabant. Ad aram Angeli serviunt : & hominem pudeat?

O ter Sancti Fratres, pro me orate, ut ego & vos & Angelos habeam & adjutores & ministros: ut ex hoc carcere non exeam, nisi SS. Viatico munitus, & ad eam, quam Christi, & vestro sanguine emisisti, transeam immortalitatem. Hoc idem, &c. pag. 2.

16. FEBR.

S. Julianæ Virgo, quod Eleusium Gentilem nollet habere sponsum, experta est Judicem & carnificem. Dœmonem specie Angeli boni malæ suadentem vinculis ipsa suis ligavit & flagellavit. Ad flamas damnata eas lacrymis extinxit, & lebetem ferventis aquæ precibus disrupit: caput denique pro Christo dedit. Suggestiones non admitte, & Dœmonem superasti.

S. Virgo ora pro me, ne arte ullâ unquam fallat Angelus tenebrarū,

præ-

præcipue in morte cum æternitate
luctantem. Tu illum alliga, ut plus
tua pro me oratio efficiat, quam
quicquid aliud contra me. Hoc
idem, &c. pag. 2.

17. FEBR.

S. Sabinus Episcopus ex senio cæ-
cus, hominum tamen cogitationes
& corda vidit. Cæcitatem tam pa-
tienter tulit, ut post mortem mere-
retur æternūm DEUM videre. In
patientia nimirum animas posside-
mus & DEUM.

Ora pro oculis cordis mei sancte
Sabine, ut sint simplices: ora, ut ea,
quæ corpori molesta sunt, libenter
feram, quia à DEO sunt; ora, ut ita
moriens oculos claudam, ut ijs vi-
deam æternūm DEUM Salvato-
rem meum. Hoc idem, &c. pag. 2.

18. FEBR.

S. Simeon, Jacobi Jerosolymis
successor, Christi se propinquum
verè probavit, cum centum virgin-

ti annorum senex mortem Crucis
constanter obivit. Propinquum
Christi crux probat.

Ora pro me S. Simeon JESUM cru-
cifixum, ut mors illius morti inex-
æterno sit solatio; ut ita crucifixi
amans h̄ic vivam, & moriar in tem-
pore, ut vicissim ille me amet in
æternitate. Hoc idem, &c. pag. 2.

19. FEBR.

S. Conradus Placentinus, puri-
tatem ut servaret, in vepres se abje-
cit; ut juvenem sceleratum hasta è
cœlo configendum, preces suas ob-
jecit. DEO animam flexis genibus
reddidit. Devotè moritur, qui vi-
vit devotè.

S. Conrade, pro me animam
agente etiam preces tuas clypeum
oppone, ne prævaleat ininicus: &
ora pro me, ut, dum vivo, DEUM
sic devotè orem, ut sequatur devo-
ta mors; mortem verò vita im-
mortalis. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. FEBR.

20. FEBR.

S. Eucherius In fulam Aurelianensem, quam nondum nato Angelus promisit, à Carolo Martelio Rege accepit quidem, sed ab eodem eâ spoliatus, post iussus est Coloniae exulare; ab exilio migravit in Patriam Sanctorum: sed vidit prius Carolum cœlo exulare in inferno, quod sacris manus injecisset. Quām dispar utriusque vita tam fuit dispar mors.

S. Eucherius, gratulor tibi, beatam illam æternitatē te possidere: quā Carolus excidit, & infelicem illam te non timere, in quam Carolus incidit. Verūm inter utrumque ego sum medius & dubius: illam spero, hanc timeo. Ora pro me, ut ita moriar, ut illam habeam, quam spero: non illam quam timeo. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. FEBR.

S. Mauritius Apameæ in Syria
Du-

Ductor cum militibus suis uncos primūm, equuleum, flagra, flamas, & tela pro Christo perpessus, dein Photinum filium prope paludem ad palum alligatum vespis, muscis, & sagittis confodi coram vidit. Denique cum socijs ipse melle oblitus, à vespis ad mortem confessus est. Hoc denique est militem esse fortem, si & pro Christo scias mori.

Adesto cūm filio & copijs tuis mihi morienti, & ora pro me S. Mauriti, ut certanti mihi adsit Imperator noster JESUS, & in ultima pugna victorem faciat, & inter Victores suos censeat in æternitate. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. FEBR.

S. Petrus Damiani Juvenis à fratre natu maximo porcis pascendis adhibitus, dein ab altero fratre litteris admotus sic profecit, ut eas doceret. Sed memor injuriarū mun-

mundi, eum averfatus, inter Anachoretas se abdidit. Cur non ludis mundum, toties tibi illudentem?

S. Petre, juva me precibus tuis ut mundum toto corde averfari possim, quò mundus ex hoc mundo evolem ad eum, cuius regnum non est de hoc mundo, & tecum illum æternū laudem. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. FEBR.

S. Nicolaus à Christo coram audiens: Nicolae sequere me: Prompte est secutus: fuit Christi & B. V. adeò amans, ut aliquando undecies millies Pater & Ave recitaret. Si amas, non piget diu orare.

Ora pro me beate Nicolae, ut in omnibus DEUM me vocantem promptè sequar, & ita Pater ad Patrem DEUM, & Ave ad DEI Matrem orem, ut & Patris illius & Matris bonus filius vivam, & moriar. Hoc idem, &c. pag. 2.

S. Mat-

24. FEBR.

S. Matthias Apostolus in locum reprobi Judæ electus est , quando fors illa felix supra eum cecidit. In Æthiopia tunc Christum prædicavit , pro Christo lapidibus & securi percussus fortem æternæ hæreditatis adiit. Tali sorte quidni digna sit vita & mors talis ?

O S. Apostle ! sim & ego tam fidelis DEO meo usque ad vitæ finem , ne cadat super me fors reproborum , sed proborum , ut felici morte hinc in fortem Sanctorum veniam , quæ est fors filiorum DEI . Hoc idem , &c. pag. 2.

25. FEBR.

S. Tarasius primò Consul , dein Princeps , tum Archipræsul Constantinop. In his tamen honoribus pauperum nunquam oblitus , quibus præter vestes quotidie vel cibos è sua mensa mittiebat , vel sua manu ministrabat . Et plebejum pudeat ?

San-

Sancte Tarasi ! charum tibi fuit pauperum nomen ; ecce me pauperem & maximè in hora mortis egenteim ! ora ergo, ut in illo æternitatis adeundæ articulo pauperculam hanc animam meam in domum gloriae inducat DEUS. Hoc idem, &c. pag. 2,

26. FEBR.

S. Porphyrius Jerosolymis in monte Calvariae Christum crucifixum cum coram vidisset, oravit : Domine memento mei , dum veneris in Regnum tuum. Et Christi jussu latro bonus osculum ei tulit ; Christus vero Crucem suam ferendam cum amplexu commendavit. Crux Christi pignus est amoris.

Memento sancte Porphyri, quæso , etiam mei apud Crucifixum JESUM ; jam enim venisti tu in Regnum , tibi à DEO præparatum à constitutione mundi , ut audiam à Chri-

à Christo in agône meo : Hodie
mecum eris in Paradiso. Hoc
idem , &c. pag. 2.

27. FEBR.

S. Athanasia Andronici conjux,
cùm binos filios mortuos in S. Ju-
liani templo fleret , ab eo docta
est , ijs cœlum non invidere. Sic
admonita, ut eodem conniteretur,
omnibus opibus in pauperes abje-
ctis , cum marito in diversa cæno-
bia abijt. Relinque , quæ habes
propter DEUM , & Cœlum habes.

Sancta Athanasia ora pro me ,
ut rebus hujus sæculi non affigam
cor meum : sed ita per hæc tem-
poralia transeam , ut non amittam
æterna. Hoc idem , &c. pag. 2.

28. FEBR.

SS. Lupicinus & Romanus Ger-
mani , ambo Virginitatem à tene-
ris coluère : ambo à parentibus
ad nuptias urgebantur : sed ijs
mortuis ambo ad eremum conce-
fere,

Sere, ubi superatis dæmonum frau-
dibus multos ad Christi castra du-
xerunt. A teneris assuescere tu-
tissimum.

SS. Lupicine & Romane, orate
pro me, ut nunc ita assuescam vi-
vere DEO, ut in morte impugnan-
tem me dæmonem vincam, & ad
cœlestia castra securus migrem.
Hoc idem, &c. pag. 2.

29 FEBR.

Si est annus Bissextilis.

S. MARIA, morientium tute-
la: S. Angele à DEO mihi assigna-
te. Omnes SS. quibus in morte
Christus, vel B. Virgo, vel San-
ctorum aliquis apparuit, & ad be-
ne moriendum juvit: Omnes SS.
qui eos, qui in horrendo mortis
agône versantur, soletis singulari-
ter adjuvare; assistite mihi in agô-
ne meo, & orate pro me, ut tunc
mihi propitius appareat JESUS, qui
veniet me judicare. Hoc idem,
&c. pag. 2.

MAR-

M A R T I U S .

I. MART.

Sanctus Siviardus Abbas morituru-
rus , suos ad perseverantiam ,
& gratiae aestimationem est horta-
tus , inquiens : Videbit quivis ,
quam bene nobis voluerit DEUS .
Mortui anima Sanctorum Petri &
Pauli manibus visa est cœlo inferri .
Dignus gratia non est , qui aesti-
mare aut non novit , aut non vult .

S. Siviarde , ora pro me , ut aesti-
mem semper gratiam DEI , ut gra-
tia DEI in me vacua non sit , sed
plena semper usque ad mortem ,
usque ad beatam æternitatem : in
qua verè videbit quivis , quam
bene nobis voluerit DEUS . Hoc
idem , &c. pag. 2.

2. MART.

S. Ceadda Ep. ut in judicio ex-
tremo non timeret , dum vixit , id
sem-

semper timuit. Unde ad ventos, tonitrua, fulmina, velut diei illius imagines flevit. Morienti Angeli adfuere. Beatus homo, qui semper est pavidus.

S. Ceadda, impetra mihi, ut à Judicijs divinis timeam in vita, ut merear à te & sanctis Angelis post mortem ad patriam illam deduci, ubi nullus timebit unquam. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. MART.

S. Cunegundis Imp. Henrici virginis Conjux Virgo, in Virginitatis testimonium nudis pedibus & illæsis candenti ferro inambulavit. Post Conjugis mortem, ut Virginitatem porrò tueretur, mundo exivit, & Religiosa in Cænobio vixit. Nusquam tutior Virginitas; quam inter Virgines.

Sancta Imperatrix, inveniam ego per tuas & S. Conjugis tui preces gratiam, ut continentiam sta-

tui meo congruam servem, ut aliquid tecum in æternitate vivam, & DEUM meum laudem Hoc idem, &c. pag. 2.

4. MART.

S. Casimirus Poloniæ Regis Filius, sic à teneris Castitatem amat, ut cilicio uteretur pro purpura, & humo pro molli lecto. Summa hyeme nudipes noctu templa obivit. Mori Virgo maluit Juvenis, quam non Virgo vere senex. Centum & ferè quinquaginta annis Corpus ejus incorruptum est repertum, unà cùm Hymno Mariano, quo Omni die MARIAE laudes dixit. Amas Virgo esse? cave corpus tuum ames.

S. Casimire, scio quæ MARIA honori & amori dixero, aut fecero, morientem me ad ipsam æternitatem secutura. Adsis ergo mihi dum vivo, ut corporis & animæ puritatem ita custodiam.

MARTIUS. 51

ut Omni die MARIÆ dicat mea laudes anima , ut in supremo vi- tæ die ad sinum MARIÆ vadat de- votissima. Hoc idem , &c. pag. 2.

5. MART.

S. Conon conjugem à parenti- bus obtrusam docuit Christo nu- bere. A S. Michaële doctus, quo- modo ad Baptismum & S. Euchari- stiam adiret. Non deerunt Ange- li Magistri , si non desint homines discipuli.

Doce me , S. Conon , ad Altare sanctum accedere , prout à Magi- stro tuo didicisti , ut semper hoc Sacramento sic utar , ac si pro via- tico æternitatis illud moriens su- merem. Moriens verò eo sic mu- niar : ut habeam felix iter in iti- neribus æternitatis ad eum, quem in Sacramento adoro. Hoc idem , &c. pag. 2.

6. MART.

S. Coleta V. à sancto Joanne
C 2 Apo-

Apostolo per annulum Christo est desponsata : & ipse Christus ei Eucharistiam dedit , & Martyrum omnium dolores , sicut optaverat , sensit . Moriens à Christo velut sponsa in cœlum est deduc̄ta . Vis amari à Christo ? ama amore ejus multa pati .

Ora pro me , S. Virgo , ut & ego amore JESU sic desiderem pati , ut in hora mortis deducar in domum illam , in qua qui habitant , beati sunt : ut unà cum illis in sæcula sæculorum laudem , qui passione suâ me redemit , JESUM Christum . Hoc idem , &c. pag. 2.

7. MART.

S. Thomas Doctor Angelicus fœminam impudicam ardenti titione fugavit : victor ante Crucem orans ab Angelis baltheo est præcinctus & omni post hac carnis molestia caruit ; in unam DEI gloriam semper intentus ; unde post

post mortem stellato pectore gloriōsus apparuit. Et quid sit dignius DEO, quò collimet homo?

O Angelice Doctor Thoma! impetra, quæso, hanc stellam tam puræ intentionis cordi meo : ora pro corde meo, ut ne sinat illud JESUS & MARIA ullo unquam crimine maculari ; sed sit ad JESU crucifixi & MARIÆ gloriam vita mea, mors mea, æternitas mea. Hoc idem, &c. pag. 2.

8. MART.

S. Philæmon in theatro Christianum tam dextrè egit, ut Christianus mox fieret. Quare pro Christo flagra & sagittas innoxie tulit. Tandem sanguine suo meruit baptizari. Utinam vel Christiani personam suam sic agant!

Ora pro me sancte Philæmon, ut in rebus salutis meæ non nuger, sed seriò agam negotium æternitatis meæ. Obscro, seriò &

bene agam personam hominis verè Christiani, ut illâ demum æternitate coroner, quæ non datur, nisi qui DEI obsequiis serìò se impendunt. Hoc idem, &c. pag. 2.

9. MART.

S. Francisca Rom. ob vitæ innocentiam & austерitatem Angelo suo tutelari, Christo passo, & MARIÆ tam fuit familiaris, ut hæc ei in sinum dederit JESUM, JESUS comedenti & decumbenti assede rit, Angelus semper spectabilis fuerit. Non habet Cœlites familiæ res, qui renuit mortificari.

Juva me, Francisca felix, Francisca Angelica, Francisca JESU, & MARIÆ amabilis, per mortificationem mereri, ut adsit mihi & comedenti, & decumbenti, & semper, & denique morienti, & in æternitate viventi JESUS. Hoc idem, &c. pag. 2.

11. MART.

S. Pelagia cum geminis filiabus Martyrium quæsitura Antiochiam abiens ; ne pudorem perderent , è via in profluentem desiliērunt , & illo hauſtæ sunt. Corpora ſimul decentiſſimè tecta ad littus exposuerunt. Vitam amas æternam ? mortem ergo ne timeas temporalem.

Orate pro me , ſancta Mater , & ſanctæ Filiæ ; ut & ego pretiosam mortem quaeram per vitam pre-
tiosam , ac tandem inveniam pre-
tiosam æternitatem. Hoc idem , &c.
pag. 2.

12. MART.

Sanctus Gregorius Magnus Pa-
pa , inter pauperes , quos cibavit ,
Christum & Angelos meruit hospi-
tes habere. Grassante Romæ pe-
ſte , beatæ Virginis Imaginem cir-
cumferens , vidi cruentum gla-
dium abſtergere , & in vaginam re-

condere Angelum, & in aëre Reginæ Cœli gratantes Angelos de morte Victoriam audivit. Devotè MARIAM invoca, & exaudiēris.

Sancte Gregori, ora pro me Reginam cœli, ut eā devotione in vita eam invocem; ut per illam ad regnum ejus perveniam, ubi æternū cantem Alleluja. Hoc idem, &c. pag. 2.

I3. MART.

S. Euphrosina V. Crucifixum aliquando complexa, sic in ejus amorem exarsit, ut spretis Principis nuptijs, se totam ei in Cœnobio devoverit: ubi mirâ abstinentiâ & patientiâ celebris, à sponso in cœlū est evocata. Pugna fortiter, ut vincas, & coronaberis.

O patiar & ego libenter! Ora pro me, sancta Virgo, ut patiar; & ora, ut patiar libenter. Ora, ut libenter moriar; sed in suavissimis amplexibus JESU & MARIAE.

Hoc

Hoc idem, &c. pag. 2.

14. MART.

Sanctus Petrus Abbas vidit beatam Virginem piè laborantium sudores abstergere. E morbo factus monoculus gratias DEO egit, quod hostium alterum amisisset. Utrum melius, cum uno oculo cœlū, quam cum duobus gehennam intrare? Elige.

Ora pro me, sancte Petre, ut ita oculis meis utar, ut non pœniteat: & ita pro D E O & D E I paræ gloria laborem & sudem, ut in mortis ultimis sudoribus M A R I A M etiam habeam consolatricem. Hoc idem, &c. pag. 2.

15. MART.

S. Longinus Centurio, Christi latus aperuit, & liquorem effluentem oculis suis tum corporis, tum mentis habuit salutarem. Nam missos à Pilato, qui caput ejus præscinderent, hospitio exceptit prius,

dein

dein candidatus caput dedit rese-
candum. Hoc didicit, dum Chri-
stum mori vidit.

Sancte Longine, ora pro me,
ut quam viam ad cor JESU lanceâ
aperuisti, eam ego suspirijs meis
frequenter teram, dum vivo : ut
moriens aliquando in illud cor spi-
ritum meum exspirem. Hoc
idem &c. pag. 2.

16. MART.

S. Torellus tertio galli humeris
repentè insidentis cantu monitus,
Juventuris suæ turpitudines, 40.
annis sub dio in jejunijs, catenis,
vepribus, in aqua gelida, trium
tantum horarum quotidie somno,
amarè flevit, & maculas eluit. Non
puduit te peccare: & pœnitere pu-
deat?

Sancte Torelle, juva me preci-
bus tuis, ut me DEUS gratiâ sua sic
excitet & roboret, ut agam dignos
pœnitentiæ fructus, & tecum, An-
gelis

gelis de peccatore pœnitentiam
agente gaudentibus, associari æter-
num possim. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. MART.

S. Gertrudis, V. per MARIAM
cum lachrymis à JESU peccatotū
veniam, mortem & æternitatem
felicem petijt; & è MARIÆ sinu
JESULUS datâ manu promisit di-
cens: eam à se & MARIA nun-
quam deferendam. Vis exorare
JESUM? Ora per MARIAM.

Ora pro me apud DE Iparam,
S. Virgo, ut apud Filium suum
mihi nunc periclitanti, & in supre-
mo agōne jacenti opem impetret:
ut à peccatis mundatus merear hic
ab ijs nunquam deseriri, & ijs in
æternitate sancta associari. Hoc
idem, &c. pag. 2.

18. MART.

S. Eduardus Angliæ Rex, clām
à Noverca, ut suo filio coronam
pararet, occisus, dum venabatur,

& in casa rustica primùm sepultus,
dein in paludem conjectus. Sed
ubique ob liberalitatem homini-
bus DEO sacris præstítam, vel luce
insolitâ, vel igneâ columnâ DEUS
cadaver prodiit. Disce, quām sit
in liberales DEUS liberalis.

Sancte mi Rex, intercede pro
me, ut sive repentinâ, ut tu, sive
aliâ morte occumbam, occumbam
sanctè; ut Regi Regum DEO æter-
nūm unâ tecum homagium in san-
ctæ æternitatis Regia præstem.
Hoc idem, &c. pag. 2.

19. MART.

S. JOSEPH, MARIÆ Sponsus,
JESU Nutritius, plus quām duode-
cim annos dulcissimè cum JESU &
MARIA conversatus, arcana mira
didicit. In eadem secum domo &
mensa DEUM DEI que Matrem vi-
dit, & loquentes audivit, & deni-
que inter JESUM & MARIAM
consolantes & ministrantes, ulti-
mum

mum agōnem egit, & spiritum exhalavit. Quis dulciorem sibi mortem fingere velit, aut possit?

Adesto, quælo sancte JOSEPHE, mihi morienti, & impetra, ut me in agōne jacentem, suspirantem, & exspirantem juvent, ultimum spiritum colligant, & in æternum suum contubernium recipiant JESUS & MARIA. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. MART.

Sanctus JOACHIMUS MARIAE DEI Matris Parens, & JESU filij DEI Avus beatissimus. Assem suum trifarium divisit: partem templo sacram, alteram egenis communem, ultimam sibi & familiæ reliquam voluit. Testamentum hoc cœlo probatum esse ostendit Filia, quam seni dedit. In cœlum & pauperes nemo frustra est liberalis.

S. JOACHIME, ideo per te MARIA, & per MARIAM JESUS est

mundo natus, ut & ego MARIÆ filius adoptivus, JESU servus, & frater felici morte nascar cœlo. Ora & illum, & illam pro me, ut non pereat in me Nativitas, vita, sanguis, & mors JESU. Adesto mihi morienti, & me tecum ad JESUM & MARIA M filiam tuam deduc. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. MART.

S. Benedictus Abbas libidinis incendium in animo gliscens sanguine suo inter spinas nudus abjectus extinxit, ut nunquam redierit. Anima ejus sponsæ instar ornata Cœlum subiit, clamante cœlo: Hæc via est, qua dilectus Domin. Benedictus ascendit. Delectaris¹ hac gloria? imitare vitam.

O dilecte Domini Benedicte, iuva me precibus ac meritis tuis, ut ego nunc sim diligens & benedicens Dominum, ut etiam fiam in vita & post mortem dilectus & à

Do-

Domino benedictus. Hoc idē, &c.
pag. 2.

22. MART.

S. Catharina Sueca S. Brigittæ filia, Virgo & conjux: ut Virginitatem in tuto locaret, sese humiliavit pannis vilissimis tecta. Nil aggressa est (ejusdémque author fuit alijs) nisi DEIparæ priùs diceret Ave. Placet tibi rarus MARIÆ favor? placeat & devotio in MARIAM.

Ora pro me unà cum sancta tua Matre, ut omnia, quæ aggredior, invocatâ MARIA incipiam, & eâ approbante perficiam: ut etiam MARIA me in supremo maximè lectulo decumbentem invisat & juvet, quo æternū vivam, & DEUM videam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

23. MART.

S. Otho è studioso factus miles, sub Lothario Imp: primùm pro Innocent:

nocent: III. Papa, Equitis titulum
retulit; dein pro Alexandro III.
Papa contra Fridericum Imp: mili-
tans, ab hoc captus, carcerem &
vincula tulit. Sed invocatus D.
Bernardus dormientem manibus
hostium eduxit. Post hæc sub
DEO contra se stipendium meruit:
nunquam melius, gloriiosius nun-
quam.

Sancte Otho, adesto mihi cum
sancto tuo Bernardo, ut quando
morsex careere hoc me educet, in
libertatem videntium, non in car-
cerem cæcorum educar: & impe-
tra, ut ubi vincula hæc mea disru-
perit DEUS, sacrificem illi hostiam
laudis vobiscum in æternum. Hoc
idem, &c. pag. 2.

24. MART.

S. Simon parvulus Tridentinus,
menses vix dum 29. natus, à Ju-
dæis forficibus concisus, acubus
toto corpusculo punctus, distensus,

varijs

varijs modis excarnificatus, crucifixus, morientis Christi Martyr vietima factus est. Quām, putas, placuit DEO hæc innocens victima?

S. Puer, adsis mihi morienti, & si pro Christo non potero, saltem in Christo, ut sancte moriar, impetra. Hoc idem, &c. pag. 2.

25. MART.

Hodie SS. Trinitatis nomine salutante MARIAM Angelo, & Spiritu S. obumbrante, in Virginis utero est VERBUM CARO FACTUM. Verè dies lætitiae!

Ave MARIA, gratia plena, Dominus tecum, Ancilla Domini, Mater DEI, in qua hodie Verbum caro factum: esto mihi MARIA, impetra, ut in gratia moriar, ô gratiâ plena! ut Dominus sit mecum, & ego cum Domino in æternū. O benedicta in mulieribus, ora, ut benedictus fructus ventris tui sit mihi

viventi & morienti JESUS. Ita
fiat, O S. MARIA, Mater DEI,
Mater viventium & morientium,
& p̄t̄destinatōrum. Sancte Ga-
briel, saluta mecum, & pro me
MARIAM, & doce me illam salu-
rare, ut oret pro me, oret nunc,
dum vivo: nunc, dum oro: nunc,
dum sum in periculo damnationis
æternæ, & tunc in hora, tunc in
momento, tunc in sudore, tunc in
agône mortis meæ. Hoc idē, &c.
pag. 2.

26. MART.

S. Ludgerus Episc. parvulus
etiamnum rogatus, quid toto die
egisset, libros se vel scripsisse, vel
legisse respondit. Et quo Docto-
re? DEO, ajebat. Hinc ad mor-
tem usque orationibus, sacris le-
ctionibus, concionibus fuit inten-
tus. Tanti est, bono Doctore uti.

Ora pro me, sancte Ludgere, ut
omnia, quæ totâ die, totâ vitâ &
mor-

morte agam, & patiar, DEO Doctore agam & patiar: ut in æternitate ibi sim ego discipulus, ubi est Magister meus DEUS. Hoc idem, &c. pag. 2.

27. MART.

S. Rupertus Vangionum Epis. Virgis per urbem cæsus, in exilium actus, in Bojariam venit, quam totam Christo subegit. Ipso Paschatis die post sacrum morienti Angeli candidati Alleluja accinuerunt. Si cum DEO es, patriâ dulcius est exilium.

Adesto & mihi cum Angelis tuis
S. Ruperte, & mortem alias horrendam, tuo, Angelorumque auxilio amabilem effice, ut uterque DEO nostro felix Alleluja æternum cantemus. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. MART.

S. Guntramus Rex, ut plura sibi pro morte & judicio auxilia præpararet, in egenos ac tempula regias gazas

gazas profudit. Refudit dormienti thesaurum opulentissimum DEUS, quem ipse effossum in pauperes & templo denuo effudit, ut thesaurum haberet in Cœlo. Hominem vishabere debitorem: cur non & DEUM?

Ora pro me S. Rex, ut quidquid mihi morienti vel solatio, vel auxilio fore cognovero, id faciam: & nunc seriò in singulis, quæ ago, mihi thesaurizem thesauros æternos in aurea æternitate. Hoc idem, &c.
pag. 2.

29. MART.

S. Mechtildis in carnem suam tam austera fuit, ut & carne, & lecto, & vino, quoad vixit, abstinuerit. Ægram solata est MARIA, & ei Eucharistiam Angeli porrexerunt. Qui vivunt in carne ut Angeli, quidni habeant ministros Angelos?

O Sancta Virgo, hæc mihi morienti solatia impetra, ut JESUM,

MA-

MARIAM, & Angelos unà tecum
habeam protectores : ut sine SS.
Eucharistia non discedam ex hac
vita mortali. Hoc idem, &c. pag. 2.

30. MART.

S. Regulus Episcopus ad aram fa-
ciens mortis S. Dionysij & Socio-
rum nuntium per tres columbas
acepit, quæ trium Martyrum no-
mina ore ferebant. Contra super-
stitionem animosè bellum gessit,
Signo crucis pro clave usus, carce-
res aperuit, & victos liberavit, &
Dœmonibus terribilis extitit. An-
non in cruce victoria?

Sancte Episcope ora pro me, ut
nec nunc, nec in agône meo videat
in me quidquam dœmon toties à te
victus, ut denique meum etiam
nomen, non infernales corvi, sed
columbæ cœlestes ferant, & legar
inter Electos. Hoc idem, &c. pag. 2.

31. MART.

Sanctus Guido Bertholdū quon-
dam.

dam in agone supremo ob conscientiæ stimulos valde luctantem, quod ei peccatum, licet per oblivionem omissum, servare objicerent Dæmones, juvit: & ut sibi redderetur, à D E O impetravit. Quis pro agone tam diffcili non patronos quærat?

S. Guido, juva & me, ubi me in diffcili illo agone videris; ut in pace conscientiæ puræ, & in pace Christi requiescam. Hoc idem, &c.
pag. 2.



APRILIS.

Sanctus Walericus puer Pastor & hortulanus tam innocens, ut aves & vermiculos è manu sua passceret; Spurciloquentiæ tantus osor, ut rigente bruma in ædibus morari nollet, ubi Sacerdos & loci præfectus fæda loquebantur. Abiit;

at ille oculis captus, iste contabescens, poenas dederunt. Non vis infici à spurciloquentijs? procul esto.

S. Walerice, ora pro me, ut quidquid loquor, cogito, facio, purissimos DEI omnia videntis & audiens oculos aurésque non offendat. O vivam & moriar in DEO, coram DEO, & propter DEUM! Hoc idem, &c. pag. 2.

.2. APR.

S. Franciscus de Paula Minimorum Fundator virtutibus quidem omnibus insignis erat, sed potissimum charitate; teste cœlo, è quo ad ipsum globo igneo inscripta caritas descendit. Eâ sic arsit, ut ipse ignes sublunares impunè tractaret, & alios sancto amore inflammaret. Hoc igne ardere, & pulchrum & amabile est.

S. Francisce, experiar & ego ignes tuos! Certè si viveres, Charitas

ritas tua non pateretur, ut morienti mihi non addesset, si posses. Nunc potes : O juva , ut ignis DEUS , hoc est, Charitas ita me accendat, ut in me extinguat , consumat , & consummet omne , quo cum non licet mihi DEUM amare ; & ut in charitate vivam , in illa moriar, æternumque sim charus charissimo meo & tuo DEO. Hoc idem , &c. pag. 2.

3. APR.

S. Richardus ex paupere creatus Episcopus , cum honore mores, ut solet, non mutavit. Vasis aureis & argenteis in pauperum annonam expensis , ajebat : præstare more parentis fictilibus cœnare , quām Christum in pauperibus esurire. Moriturus à sacerdotibus iterari sibi continuò voluit; MARIA Mater gratiæ &c. denique Crucifixi complexibus immortuus. Sic mori optas ? sic vive.

S. Ric.

S. Richarde, ora pro me JESUM
Crucifixum, & MARIAM piissi-
mam ejus matrem, ut ita tuo exem-
plu instructus vivam; ut aliquan-
do inter JESUM & MARIAM piè
moriar, & tecum illis æternūm af-
socier in coelis. Hoc idem, &c.
pag. 2.

4. APR.

S. Theodulus Juvenis & Aga-
thopus senex, in carcere ab ipso
Numine animati ad patientiam, ita
pro Christo steterunt inter tor-
menta, ut Tyrannum in ruborem,
in lassitudinem dederint tortores.
Si velit te DEUS pati; an putas,
prudenter renuis?

O Sancti Martyres! animate
hoc miserum corpus meum, ut pro
DEO libenter & ubique patiatur;
ut post mortem felicem pro mo-
mentaneo, quod passum est, æter-
nitate gloriae induatur. Hoc
idem, &c. pap. 2.

5. APR.

S. Vincentius è Divi Dominici familia, ab ipsomet Christo morbo levatus, & jussus ad pœnitentiam populos evocare. Cui labori sic vacavit, ut 25000. Judæorum, totidem Saracenorum Christo conciliârit: Christianorum verò 12000, reconciliârit: publicè infamium 40000. ad innocentiam reduxerit. Tot spolijs triumphantem, spoliare orcus castitate contendit, sed frustra. Sic ille cum MARIA, & MARIA cum illo pugnavit, ut vinceret Vincentius. Hoc est servum DEI gnatum esse & fidelem.

Sancte Vincenti, accende & cor meum, ut DEI amore ardeat: & pro me ora, ut nulli sit scandalo vita mea; plurimis verò bono exemplo: ut mors, ut me viventem ex hac vita eximet, ita me det vita beatæ & æternæ. Hoc idem, &c.
pag. 2.

6. APR.

S. Guilielmus ostensā sibi ab Odone Abb. Crucifixi imagine, ita amore ejus exarsit: ut relicto sæculo Religionem petierit. Morientem ad coronam priùs exhibitam eduxit Christus. Quidnī morientem ducat JESUS, quem viventem habuit sequacem?

O sciam inspirationibus parere divinis! sciam præ mundo æstimare cœlum! Ora pro me S. Guilielme, ut hoc unum me JESUS doceat, ut sciam, & velim, & faciam: ut vita mea sit expers sæculi, & mors mea sit origo beatæ æternitatis. Hoc idem, &c. pag. 2.

7. APR.

S. Hermanus, Joseph dictus, sic à septimo ætatis anno MARIAM coluit, ut eum ipsa in templo ad Filio suo & D. Joanni colludendum invitaret. Ut inediā suam levaret, saxum ei MARIA monstravit, unde, quoties egeret, nummos promeret.

meret. A MARIA sic amabatur, ut ei & Sponsi sui nomen daret, & euim in Sponsum acciperet. MARIÆ nomen non nisi humili prostratus audijt: unde odoribus semper cœlestibus est afflatus. Tanti est sincerè MARIAM amare.

Utinam & ego JESUM & MARIAM serò amarem! fortè mihi hactenus blanditus, meipsum decepi, quasi MARIAM amem. O curram jam seriò in odore JESU & MARIÆ! Ora pro me Sancte Josephe, ut morienti mihi sint solatio duo illa nomina, ut ubi in terra felici morte prostratum jacuerit pigrum hoc corpus meum, odore cœlesti pascat animam in cœlo DEUS. Hoc idem, &c. pag. 2.

8. APR.

S. Wicterpus Ep. post mortem D. Herlucae Virginis apparens Christum à Pilato ostensum exhibuit, & expavescenti dixit, sic eum laniani

nari à tractantibus & sumentibus
indignè Eucharistiam. Sancta san-
cte tractari debent.

Esto & mihi comes S. Wicterpe,
cùm aliàs, tum maximè, quando
ultimò accipiam illud Viaticum &
pharmacum immortalitatis ; ut
JESUM in cœlo mihi ostendens
dicas : Ecce homo ! Ecce DEUS !
& corde sancto illum æternis amo-
ribus amemus. Hoc idem, &c.
pag. 2.

9. APR.

S. Maria Ægyptiaca , à teneris
Veneri dedita, Hierosolymis in fe-
sto Exaltationis S. Crucis è templo
ter divina vi repulsa , ad DEI param
MARIAM conversa aditum impe-
travit. A quâ jussa Jordanem tran-
sivit , & quidquid homines inter
peccârat, interferas lacrymis eluit.
Confide: Propitium habes Judi-
cem , si Judicis Matrem Patro-
nam habes.

O magna Pœnitens , impetra
mihi à JESU per MARIAM , ut
nunc seriò illa omnia amarè defle-
am , quæcunque amariorem red-
dere mihi possunt , amarum alias
etiam , agônenm mortis meæ ; &
non repellar , sed inducar in tem-
plum æternum . Hoc idem , &c.
pag. 2.

10. APR.

S. Macarius Pat. Ant. Christi se-
pulchrum invisens , à Saracenis ad
ossa usque laceratus , pavimento
tribus clavis affixus , ignito supra
pectus saxo imposito , sed ab Ange-
lis liberatus , in Flandria se cum so-
cio gemino lui pro urbe victimam
obtulit . Nil DEO charius ; & nil
in orbe carius Charitate .

Eja , S. Macari , age , ut ita me
Angeli , ita tu , ita MARIA , ita DEUS
hic peregrinum juvet , ut semper
ab animi peste omni sim immunis :
& sanus , ac æger DEI semper sim
victi-

victima, simque etiam moriens vi-
vum holocaustum DEO. Hoc
idem, &c. pag. 2.

11. APR.

S. Guthlacus è nobili & milite
Eremita, Insulam ab hominibus
quidem desertam, sed dœmonibus
infestam habitavit. Risit vanas
dœmonum minas, & vicit. Inde
ab Angelo quotidie visitatus, &
contra insidias armatus. Latrare
diabolus potest: morderenon po-
test, nisi volentem.

Sancte Guthlace, age, ut ita me
per Angelum tuum Custodem ar-
met DEUS, ut Angelo meo semper,
dœmoni nunquam vel in minimo,
quidquid suggerat, obediam: &
quotidie me diei æterno parem, &
ibi cum Angelis bonis, ac tecum ad
majorem DEI gloriam æternum
triumphem. Hoc idem, &c. pag.

12. APR.

S. Alferus ad Regem Germanorum

norum Legatus à via aberrans, ad Regem Regum in Cœnobium Cluniacense deflexit. Hanc ei fortem invidens Dœmon, ex altissimo monte eum dejecit: sed incolus dœmonem risit. O te felicem, qui ut ad DEUM venias mundo aberras!

Impetra mihi sancte Alfere, à D E O meo vires solidas, & D E I cordi affixum cor, ut hoc velim, quod D E U S vult; non verò quod Dœmon, Caro, & Mundus, præcipitare me volentes: atque ita me è lecto mortis meæ ad cœnam vitæ æternæ invitet, & perducat Rex æternæ gloriæ. Hoc idé, &c.
pag. 2.

13. APR.

S. Hermenegildus Rex jussus à Patre Leovigildo Arriano, Catholicis sacris spretis, Arianum in Pafchate profiteri; cum nollet, in carcere vincitus primū, dein ipsa

Pa-

Paschatis nocte securi percussus.
Disce, quo usque Parentibus ob-
temperandum.

Regie Juvenis, S. Hermenegil-
de, doce me ita humanos respe-
ctus, timores, ac spes omnes pro
DEO & æternitate despicere, sicut
tu Regis Patris iussa, & minas de-
spexisti; ut nullus dœmonum,
nullus hominum, nulla creatura
me à DEO meo possit abducere:
sed in illo sperem, illum amem,
timeam, qui amorem & timorem
omnem verè meretur; in cujus
manu & cœlum est & gehenna: &
postquam corpus felici vel infelici
morte occiderit, tu mihi felicem
impetra, ut tecum sim æternum
felix. Hoc idem, &c. pag. 2.

14 APR.

S. Ludwina, ut castitati forma
non noceret, à DEO deformari pe-
tijt. Audijs DEUS votum, & eam
morbis sic exercuit, ut nemini pla-

D 5 ceret,

ceret, præterquam Christo. Sic 38. annos exercita, adstante JESU & MARIA cum Angelis migravit ad cœlum. Placet DEO, quisquis novit pati.

S. Virgo, quæso, illi felices tui erga JESUM & MARIAM amores & dolores mortis de salute incerto ac trepido intercedant; ut JESU & MARIÆ ope felix abeam ad illam, quæ sic amantibus præparata est, æternitatem. Hoc idem, &c. p. 2.

15. APR.

S. Casilda Virgo Regia furtivè ex Regis Patris menſa captivis Christianis cibos ferebat. Deprehensa, ut Patris iram evaderet, dixit se rosas ferre: exhibere jussa, & ipsa, & parens cibos vidi in rosas conversos. Tam chari sunt DEO, quibus captivi pauperes chari sunt.

Tuis precibus, ô sancta Virgo!
michi misericordem illum animum
im-

impetra, ut rosas h̄ic mihi colligam,
eásque per pauperum manus præ-
mittam in cœlum, quibus me pau-
perum Pater JESUS coronet. Hoc
idem, &c. pag. 2.

16. APR.

S. Joachimus Confess. tanta in
DEUM & proximum charitate fla-
grabat, ut epilepsiam ab epileptico
in se transferri à DEO impetrârit.
Et ut plus amore DEI pateretur,
vermibus absumi petiit, nec nega-
tum. Malè non moritur, qui li-
benter opera charitatis exercet.

Ora pro me, S. Joachime, ut ea
in omnes charitate sim, quam à me
postulat DEUS meus, & opera cha-
ritatis libenter exerceam : ut sic
me vivum animet Charitas, sanctæ
morti me'paret Charitas, & DEO
Judici, qui Charitas est, me sistat
Charitas. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. APR.

S. Helenus, è mundo priùs quàm

pueritia exiit , tutiū inter feras ,
quām homines victurus , Jejunia
diu producenti dæmon escas ob-
trusit : sed respuit , & dapes Angeli
ministrârunt . Mundus , & dæmon ,
etiam cùm benefacere videntur ,
cavendi .

Attende & mihi , ne quā arte , vel
dæmon , vel homo , à dæmone
substitutus inescare me possit , &
morti me æternæ addicere . Dæ-
monis esca est , quidquid pecca-
tum est . O jejunem ego ab his
escis ! ut post talia jejunia ad æter-
nas epulas me Angeli sancti à mor-
te abducant . Hoc idem , &c. p. 2.

I8. APR.

Sanctus Ursmarus priusquam na-
tus , matri ostensus per scalam in
cœlum eniti . Paratus quotidie
animas suomet sanguine cœlo lu-
crari : patientiâ admirabili , ceu
Jobus , cœlum concendit . Nec
facilior , nec planior est via in cœ-
lum , Patienriâ .

Op-

Opatiar & ego libenter, ut patientia mihi scala sit, quâ moriens in cœlum ascendam! ora pro me, ut ita in patientia vivam, quo mihi mors mea sit pretiosa in cœlum scala, non præcipitum ad infernum. Hoc idem, &c. pag. 2.

19. APR.

S. Wernerus in agro Trevirensi ruri natus, 14. annorum à Judæis crucifixus, triduo excruciatus, è cruce ad Paradisum abiit. Corpus in speluncam abjectum: ne lateret, accensis multis facibus cœlum parentavit. Cœlo discipere non potest, cui placet pro Christo pati.

Rogo pro me JESUM Crucifixum, parvule Crucifice Martyr, ut ponat Crucem & mortem suam, inter mortem meam, & tribunal suum: & quod mihi deest, illud detuo ac suo sanguine suppleat, ut felicem æternitatem consequar. Hoc idem, &c. pag. 2.

20.

20. JAN.

S. Agnes Politiana è S. Dominici familia, quindecim annos solo pane & aquâ vixit: à B.V. JESULUM, ab ipso crucem, quam portabat, in sinum tanquam amoris tesseram accepit. Ex Angeli manu sæpè SS. Eucharistiâ refecta. Morienti Angeli adfuere. Quid mirum? Angelico more vixit.

Exere, ô B. Agnes, vim calidissimarum precum tuarum, & impetra mihi à MARIA, ut semper JESUM in corde habeam: ut sim totus JESU, & totus MARIÆ in tempore & in æternitate. Hoc idé, &c.
pag. 2.

21. APR.

S. Anselmus Cantuariensis Episc: ostendente DEO, vidit mundum non esse nisi cænosam paludem, in quâ homines suas delicias piscarentur. Indignum hoc ratus, ad religiosa septa, quæ sibi instar regiæ

ap.

apparebant, transivit. Vis mundus esse, mundum fuge.

Sancte Anselme, ora pro me, ne immundus mundus me abyssō inferni demergat. Ora quæso, ne in portu, hoc est, morte naufragiū patiar felicis æternitatis; sed ad illud Regis DEI palatum in æternitate perveniam. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. APR.

Sanctus Theodorus à DEO puer adhuc sexennis ad suum obsequium tractus: sed mater (Noverca potius) obstitit: Non tulit D E U S: per S. Georgium stricto mucrone mortem minatur matri; si à pijs exercitijs filium avocaret. Ni iratum vis experiri D E U M, cave sancta aliorum consilia impedire.

Exora mihi, S. Theodore, hanc à DEO gratiam, ut nihil me à DEO & pijs avocet. Pietas enim ad omnia quidem, sed ad mortem sancte obe-

obeundam vel maximè utilis. Quare obsecro, impetra mihi, ut piè, & cum pijs vivam, & piè moriar. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. APR.

S. Georgius Tribunus cùm Diocletiani tyrannidem palàm dānaret, vincula, saxum ingens supino pectore, horridam cultris machinam, ferreas crepidas igne candentes fortiter perpeffus, se Christi militem probavit: & dato pro Christo capite coronatus. Æternū non patietur, qui patitur pro Christo.

Fortissime Martyr Georgi, ora pro pigro hoc, & ad dura pro æternitate sustinenda delicato nimis corpore. Patiatur nunc, ne patiatur æternū; currat, quò anima & DEUS vult, ut cœlum, non infernum comprehendat, ac in morte à Christo coronetur. Hoc idem, &c. pag. 2.

24. APR.

24. APR.

S. Bona V. septennis, ut puden-
rem servaret suadente Christo, stra-
mine usq; pro lecto, cilicio pro ve-
ste, tres quot hebdomadis dies so-
lo pane & aqua exegit, reliquis
nonnisi leguminibus vixit. Puden-
rem vix tuetur, qui carni blanditur.

Impetra mihi, ô Bona Virgo,
ut carnem meam severè habeam,
ne recalcitret, & à via cœli me ex-
cutiat. Impetra mihi præterea, ut
bonâ, & sanctâ vitâ me parem ad
bonam & sanctam mortem. Hoc
idem, &c. pag. 2.

25. APR.

S. Marcus Evang. Alexandriæ
ipso Paschatis die ad aram captus,
nocte Angelo exhibente nomen
suum in libro vidit: de quo cùm
gauderet & gratias ageret; Chri-
stus pacem est precatus, ad quam
altero die laqueo præfocatus acces-
sit. Hæc pax nonnisi per adversa
obtinetur.

San.

Sancte Marce, exora & mihi pacem illam à JESU, pacem cordis, pacem vitæ, mortis, æternitatis, ut in albo Beatorum inscriptus, felici morte, in pace in idipsum dormiam, & requiescam æternū. Hoc idem, &c. pag. 2.

26. APR.

S. Basileus Ep. dum Glaphyrā V. protegit, ne prostituatur, suam vitam prodigit. Iussus aut fidem, aut caput ponere, hoc abjecit in cœlo coronandum. O si quisque suum, ut hic alienum, tueretur pudorem.

Sancte Basilee, ora pro me, ut sic inter homines degam, ut & pudorem meum non prodigam, & alienum in periculum non adducā; ut ita felici morte defunctus in cœlo merear coronari, & tecum æternū DĒUM cum sanctis laudare. Hoc idem, &c. pag. 2

27. APR.

27. APR.

S. Sita V. Ancilla mirè in pauperes liberalis, ut cœlum emeret. Placuit DEO: unde panis frustula in flores, aquam pauperi porrectā in vinum convertit. Redeunti sub noctem è templo, B. V. & pontis & urbis portas aperuit. Quanta felicitas, da frustulum panis, & recipe cœlum.

O Amem & ego pauperes, quia illos amari vult DEUS! Ora pro me, ut sub vitæ noctem mihi adsit precibus tuis invitata MARIA ad portas mortis, sitque mihi ipsa cum JESU porta ad vitam æternam. Hocidem, &c. pag. 2.

28. APR.

S. Vitalis Miles & Martyr SS. Gervasij & Prothasij Pater, Ursicinū Medicum, ut Martyrium fortiter subiret, animavit; & ipse post equuleo tortus, terra & lapidibus obrutus, quod alterum monuit, præsttit.

tit. Is enim verè magnus est, qui quod alios docet, ipse facit.

Sancte Vitalis, tuis apud DEUM meritis hoc mihi impetra, ut nec doctrina mea, nec vita alijs sit offendiculo; sed quod alios doceo, ipse faciam ; ne alijs viam cœli ostendens , ipse aberrem. Hoc idem , &c. pag. 2.

29. APR.

S. Petrus M. è D. Dominicifamilia, zelosissimus contra Hæreticos Prædicator , audire à B. V. meruit : Ego rogavi pro te , Petre , ut non deficiat fides tua. Ab hæretico in odium fidei imperfectus. Quid obest hanc ob causam odio haberi?

Ora pro me MARIAM , sancte Petre , ut JESUM pro me roget , ne vel in vita , vel in morte mea ullo modo deficiat , sed semper proficiat fides , spes , & charitas mea : ut sic illius lateri post mortem æternus cliens adhæream . Hoc idem , &c. pag. 2.

30. APR.

30. AFR.

S. Catharina Senensis septennis
à B. V. Christo desponsata , ut
sponso similior esset, spineam præ
autea coronam elegit, & capiti im-
pressit. Tu eligis coronari & au-
ro? cave.

Dilecta JESU Sponsa Catharina,
impossibile est, ut impetrare non
possis, quod voles à JESU tuo, &
tua MARIA: impetra ergo mihi, ut
in hac vita eligam cum Christo, &
propter Christum affligi : ut ali-
quando in JESU Crucifixi, & MA-
RIÆ complexu puram animam in
cœlo coronandam exspirem , sem-
per tecum beatus futurus. Hoc
idem, &c. pag. 2.



MA-



M A J U S.

1. MAIJ.

SS. Philippus & Jacobus: quorum ille à Christo Patrem sibi ostendi ardenter desideravit, & impetravit, postquam sub annum 54. in Scythia pro Christo crucifixus & lapidatus est. Hic carne, vino & sicera à teneris abstinentis, tam multus in orando, ut ex flexione genua callum obduxerint. Cùm Hierosolymæ Ep. 30. annos fuisset, anno 63. è templi fastigio dejectus mortem pro Christo obiit: quanto putas gaudio!

O sanctissimum par Apostolorū!
orate pro me, ut in abstinentia,
oratione, & patientia ita secundūm
DEI voluntatem vivam, ut morienti mihi J E S U S Magister meus
ostendat Patrem. Hoc idem, &c.
pag. 2.

2. MAIJ.

2. MAIJ.

S. Athanasius innocens calumniā passus à fæmina, vim sibi à S. Viro illatam, & ab Arrianis, ab eo occisum Arsenium mentientibus, exul totum pene orbē pererravit: in cisternā annos 5. latuit: redux Alexandriam quatuor menses in patris sepulchro: mortuus in cœlo vivit. Vis & tu animam tuam poscidere in cœlo? patere.

S. Præsul, impetra mihi hoc ad bene moriendum certissimū præsidium, patienter ferre, quidquid in me machinatur mundus; ut post mortem experiar, quām magna sit merces, quæ propter justitiam innocenter patientibus est promissa. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. MAIJ.

Debellato per Constantium Maxentio, Helena dejecto Veneris fano & statuā, salutiferam Christi Crucem cum geminis alijs è terra eruit.

eruit. Quæ Christi esset, docuit moribunda, cui attachu sanitatem reddidit. Thesaurum quæris? vel Crucem Christi, vel missam à Christo Crucem accipe.

Crucifice JESU, da, ut tua Crux, sicut tibi pro memorienti mortuallis fuit lectulus, ita mihi morienti æterno sit solatio: & quia illam ideo, ut me invenires, conscendi-
sti; ne quæso me à facie tua perire permittas, sed fac, ut sim inter tuos æternum. Hoc idem, &c. pag. 2.

4. MAIJ.

S. Monica Manichææ Hæresi mortuo filio Augustino tam copio-
sas lachrymas fudit; ut diceret S.
Ambrosius, fieri non posse, ut tan-
tarum lacrymarum filius periret. Si
matris lachrymæ pro filio tantum
valuerunt; quid tuæ pro te ipso?

Ora pro me, unà cum S. Filio tuo, S. Mater, ut sim & ego filius non jam lacrymarum, sed oratio-
num

num tuarum; sitque impossibile,
ut filius tantarum precum intereā.
Hoc idem, &c. pag. 2.

5. MAIJ.

Hodie S. Monicæ lachrymæ fructum pepererunt: nam accedente tum lectione SS. Scripturarum, tū S. Ambrosij adhortatione, tum aliorum exemplo, puduit Augustinum non posse, quod potuissent isti & istæ: & factus ex Manichæo Catholicus, ex Rhetore Doctor Ecclesiæ, ex mundi amatore, summus contemptor. Et quid moras netis in Conversione?

Doce me legere cum fructu diuinam Scripturam, & imitari Sanctorum exempla; ut sicut tu pereā ex morte deductus fuisti ad vitam, ita ego ex hac mortali vita ducar ad æternam. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. MAIJ.

S. Joannes Damascenus, cùm à E Leone

Leone Iconomacho manus ei ob
defensas SS. Imagines abscissa esset,
coram MARIÆ iconē familiariūs
questus integrām recepit : quam
deinde in Virginis laudes totā
impedit. Tu tuam quomodo im-
pendis? pudeat!

Porrige mihi , S. Damascene ,
auxiliarem manum tuam , & pone
me precibus tuis ^{juxta}MARIAM &
deinde cujusvis manus pugnet con-
tra me viventem & morientem.
Hoc idem, &c. pag. 2.

7. MAIJ.

S. Stanislaus Ep. Cracoviensis,
ut prædium à Viro nobili pro Ec-
clesia emptum contra adversarios
defenderet, mortuum jam vendi-
torem ex tumulo ad Judicē duxit.
Cūmque improbam vitæ licentiam
in Rege sæpe argueret, ab eadem
in templo occisus est. Sic scilicet
mundus remunerat.

Corripe me, dum malè ego: &
ad-

adesto mihi moribundo tua ope ,
non ut me ad vitam hanc revoces,
sed ut ad æternam voces ; sisque ad
propitium JESU tribunal , inde us-
que ad cœlum Comes . Hoc
idem , &c. pag. 2.

8. MAIJ.

S. Michaël Archangelus in mon-
te Gargano hodie ad speluncam
quandam , quò cujuspiam taurus
fugerat , nec inde revocari poterat ,
apparuit ; ibique DEUM in se & cæ-
teris Angelis coli velle docuit : un-
de ibi templum ejus cultui est ædifi-
catum . Tu animam tuam ei in
templum exstreu .

S. Michaël Præposite paradisi ,
cujus oratio perducit ad regna
Cœlorum , pro me indesinenter
ora , ut in anima mea semper vigeat
cultus tuus , mei Custodis & om-
nium Angelorum ; ut in morte ve-
stro gaudeam auxilio , & post mor-
tem vobiscum DEUM laudem æ-

ternūm. Hoc idem, &c. pag. 2.

9. MAIJ.

S. Gregorius Nazianzenus Athenas petens gravi tempestate jactatus, vovit, si maris undas evaderet, se Baptismatis undis mersurum, & vitam inter Religiosos acturum. Reus voti factus, utrumque explevit, & cœlum petijt. Nimirum fine adversis cœlum non aditur.

Ora pro me, ut & ego ita hīc omnia agam, ita omnia patiar, ut JESUM æternūm videam. Dicam ego moriens, id quod tu, cùm patereris, dicebas: Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timbo mala, quoniam tu mecum es. Hoc idem, &c. pag.

10. MAIJ.

S. Glyceria V. cùm Lampadophoria celebrarent, in publicum prodijt: cruce frontem signans, aliâ lampade sibi opus esse negavit: quo

quo dicto & facto Jovis statua corruit. Ipsa inter acerbissimas pœnas Angelum habuit consolatorem. Verè nos Crucis premium nescimus.

O sancta Virgo, signa me, & in periculo DEUM offendendi, & in ultimo potissimum agone, signo salutiferæ Crucis; ut omnes Dœmonis molitiones in nihilum cadant, & ego securè DEO serviens ad æternitatis ducar triumphos. Hoc idem, &c. pag. 2.

II. MAIJ.

S. Anthymus Presbyter propter Christum alligato ad collum faxo in Tiberim projectus, à coruscante Angelo liberatus est: multos ad Christum & Martyrium adduxit, quos denique & ipse capite plexus, est secutus. Perfectus DEI amor solus esse non potest.

Impetra mihi illum perfectum amorem DEI, ut, quotquot pos-

sum, ad ejus amorem alliciam verbo & exemplo : sic confido, in hora mortis non defuturum mihi Angelum ejus, qui ex tenebris hujus mundi me in lucem perpetuam educat. Hoc idem, &c. pag. 2.

12. MAIJ.

S. Pancratius patre orbus 14. annorum puer, ubi Romæ aquis salutis à Pontifice tintus est, non diu latuit Diocletianum. Raptus ad tribunal, maluit vitam perdere & DEI Filius esse, quam Jovem adulterum (sic eum vocabat) colere & à Diocletiano in filium adoptari. Et hæc summa sapientia est.

Adjuva nos precibus tuis, sancte puer, ut quam exemplo docuisti, bene & perfectè discamus Cœli sapientiam: omnia scilicet malle perdere, quam Christum: sit mihi præ omnibus mundi delicijs & gazis Christus, ut in ipsius amore vivam & moriar. Hoc idem &c. pag. 2.

13. MAIJ.

13. MAIJ.

Sanctus Joannes Silentarius magnarum opum hæres, MARIAM ex aße hæredem, extructo nobilissimo in ejus honorem templo, vivus scripsit. Tanta fuit animi integritate, ut nudum se quoad vixit, nunquam aspicerit: quâ verecundia B. V. summè charus fuit. Putas multos inveniet MARIA hodie, quos amet?

Obsecro, S. Joannes, instilla hanc animo meo virtutem, & in MARIAM liberalem charitatem, ut ipsi sim charus; quo spero fiet, ut mihi ipsa in ultimo agône assistat, & non sinat, quem charum habuit, eò abripi, ubi amare in æternum non amplius potest. Hoc idem, &c.
pag. 2.

14. MAIJ.

Sanctus Bonifacius Romanus: quod cum Aglaë impudicè versatus esset, pœnitentiæ causâ ad conqui-

renda SS. Martyrum corpora & se-
pelienda peregrinatus est. Tharsis
Ciliciæ Martyrum vincula exoscu-
lans, captus, in tormentis D E O
gratias egit. Peccâsti? ne pereas,
plenè pœnitentiam age.

S. Bonifaci, in hoc mihi bene-
fac, quantumvis jmerenti, & quem
vides tot peccatis, & peccandi con-
suetudinibus quasi sepultum, exci-
ta, quibus modis potes ad pœni-
tentiam, & tuis precibus adjuva;
ut, priusquam hora ultima appro-
pinquet, dignos pœnitentiæ fru-
ctus faciam. Hoc idem, &c. pag. 2.

15. MAIJ.

S. Dymphna Regia Virgo à pro-
prio parente in thorum pellecta, ut
& Virgo & DEI sponsa maneret, ul-
tra mare fugit: sed etiam illuc Bar-
barus Ieno, Pater, penetravit.
Cumque ad scelus filiam movere
non posset: gladio peremit. Ca-
daver Angeli in candidissima mar-

morea

more a urna sepelierunt, & Virginis nomen rubeo lapillo inscripserunt. Si Castorum funus cœlum curat : quis Impurorum ?

O age, castissima V. ut semper unà tecum mortem potius eligam , quām quodlibet peccatum ! age ut hīc mihi corporis & animæ puritas cordi sit , ut moriens ab Angelis porter in Cœlum , & nomen meū in DEI pectore scriptum reperiam . Hoc idem , &c. pag. 2.

16. MAIJ.

S. Ubalodus Ep. curatis duobus cæcis, tertio idem roganti suasit, ut cæcitatem mallet , quām lumen , cordi tenebras allaturum. Ab infimæ fortis homine publicè ignominia affectus, pro vindicta ei osculum tulit. Pudeat eum, dices, animi tam abjecti : imò te pudeat animi tam malè Christiani.

Impetra mihi , S. Ubalde , & nunc & in agône meo verum cor-

dis lumen , & contra omnes inimicos cor amicum , ut illud & vivens , & moriens possideat JESUS. Hoc idem , &c. pag. 2.

17. MAIJ.

S. Torpes ex impia Neronis aula piissimus aulicus , quod precibus suis æmulam cœlo machinam , quam Nero novus in terris Jupiter mortalibus illudebat , fregisset , factus ex aulico Martyr , & Cœli multò solidioris hæres. Stultus est , qui Cœlum sibi fabricat in terris.

Apta me aulæ cœlesti , ô S. Aulice ne mihi Cœlum fragile & vitreum in terris quæram : sed æternum in DEO mihi Cœlum ita vivendo ædificem , ut animam meam post mortem meam Cœlo invehas. Hoc idem , &c. pag. 2.

18. MAIJ.

S. Ericus Sueciæ Rex , Christo regna lucrari studuit , Patriæ & pauperum Pater dictus. Æstus libidi-

nis

nis glaciali aquâ suffocavit. Cæsis bello hostibus lachrymis ipse suis parentavit. Hic verè Rex est, qui se bene regit.

Ora pro me, S. Erice, ut sanctorum præclarè facta animo generoso imitari nec tædeat, nec pigeat: & ut in hoc sedulò incumbam, ut passiones meas Christi JESU Regi Regum subjugem, & multorum cum his præliorum Victor, in cœlo triumphem. Hoc idem, &c. pag. 2.

19. MAIJ.

S. Ivo Juris - Consultus Christū in persona pauperis habuit convivam: panes orando auxit, morbos curavit, flamas precibus extinxit, signo Crucis per aquas sibi viā fecit, inter suavissimos Crucifixi amplexus ad DEI tribunal abiit suā causam acturus, & vicit. At quomodo aīs? pauperum, dum vixit, viduarum & pupillorum fuit Advo-

catus : his linguam suam non vendidit, sed eorum causas beneficijs & Eleemosynis emit. Nescitis, ô Juris-Consulti, quām sit bona pauperum causa !

S. Ivo, ecce animam meam pauperculam ! habet hæc læsfæ majestatis divinæ rea causam difficilem apud DEUM agendam. Obscro, causam ejus suscipe : ut verò feliciter tractare possis , impetra mihi illam tuam in pauperes charitatem, ut illis benefaciendo , multos habeam apud DEUM pro causa mea intercessores. Hoc idem , &c.
pag. 2.

20. MAIJ.

S. Bernardinus Senensis , sola suâ præsentia turpiloquia compescuit, quando & alapâ in viro ea castigavit. Fœminas omnes animo, præter M A R I A M delevit : hujus coronam tam attentè oravit, ut illi assidens diceret : Bernardine in hac de-

devotione multum mihi compla-
cui. De JESU nomine tam arden-
ter dicere solitus, ut JESU nomen
caput ejus illustraret. Quam pro-
ficua in JESUM & MARIAM devo-
tio! sed quam paucorum!

Ora, ut & ego duobus his, JE-
SU & MARIÆ Nominibus sim de-
votissimus: ita loquar cum DEO,
mecum & cum proximo, ita JESU
& MARIÆ serviam, ut me in mor-
te non pœniteat vixisse. Hoc
idem, &c. pag. 2.

21. MAIJ.

S. Hospitius in altæ turris carce-
re voluntario, ferro gravis, squa-
lore deformis, vermibus è corpo-
re scaturientibus plenus & orans,
negabat vel vermes sibi, vel alios
cruciatus graves esse, quod ijs. ex-
citaretur ad DEUM amandum.
Tanti est, quomodo rebus uta-
ris.

Ora, ut sciam & ego uti dolori-
bus

bus ad amorem DEI. Crescent dolores, & crescat DEI amor; ut sic per dolorem, & amorem ita ad mortem perveniam, ut locum illum, ubi nullus erit amor, sed æternus dolor, evadam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

22. MAIJ.

S. Basiliscus miles videns Theodori Cognati sui Martyrium, erubuit tot se pro Cæsare Maximiano vulnera, pro Christo tulisse nullum. Invitavit eum Christus ad pugnam: & ferro soleatus, capite pro Christo minutus est. Non desunt piorum exempla: vide tu ne desis.

Accende me exemplis tuis, sicut tu accensus es alienis. Ora JESUM, ut & mihi det illam patiendi sitim, ut me ad certamen mortuale accingat, animet, juvet; ut ille in me pugnet, vincat, ac æternum triumphet DEUS. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. MAIJ.

S. Desiderius posito humano respectu Reginæ impuritatem corripuit: ideo contumeliam & exilium passus. A Christo ad Martyrium invitatus, pro percussoribus suis oravit. Si hominibus studes placere, servus DEI non es.

Intercede & pro me, ut nullus me humanus respectus ab æternis abducat. Alia illa & maxima maximi DEI principia mihi imprime; ut illorum ductu id agam in omnibus, ut me post vitæ finem ad primum omnium principium DEUM deducat. Hoc idem, &c. pag. 2.

24. MAIJ.

S. Simeon stylites, sexto ætatis anno in solitudinem secedens cum Cœlitibus familiariter, nectare pastus vixit. Sexennio sic exacto Cœnobium ingressus, sic profecit, ut à Magistro suo ad columnam invitatus, staret corpore, & animo supra

supra terram eminens. Sta, sed vi-
de, ne cadas

Ora pro me, ut h̄ic ita stem, ut
videam, ne cadam: ut me oratio-
ne & jejunio familiarem cœlitibus
reddam, quorum solatia, & nectar
in morte prælibem, & post mor-
tem illis æternūm fruar. Hoc
idem, &c. pag. 2.

25. MAIJ.

S. Mutius Iatro, spoliaturus Par-
thenonem somno oppressus, ad tri-
bunal sibi visus est rapi, & ostendi
inferorum pœnas, nisi resipiscat.
Unde aliam vitæ rationem institu-
ens, è latrone factus est virtutis
Magister: & alij, ut se ad mortem
pararent, triennium impetravit. Si
Iatrones recipit: tune despera.

Impetra & mihi lumen illud, in
quo peccatorum atrocitatem, Ju-
dicem, & supplicia videam, dole-
am, & emendem: ne imparatus
hinc abripiar; sed cùm optimè pa-
ta-

ratum me viderit , tunc me ad se
venire jubeat DEUS meus. Hoc
idem, &c. pag. 2.

26. MAIJ.

S. Philippus Nerius à puero Vir-
ginitatem custodivit, jejunis, vigi-
lijs & orationibus intentus. Chari-
tate DEI cor ejus sic æstuabat , ut
majus in pectore spatiū per mira-
cūlum obtinuerit. Omnes ama-
mus aliquid: cur non DEUM?

Utinam ad sanctum illum amo-
rem rude hoc cor erudias, ut amet
omnia , quæ amat DEUS , & nihil
nisi propter DEUM : ut felici mor-
te hinc emigrantem animam me-
am illuc, ubi tu es, videas ascenden-
tem. Hoc idem, &c. pag. 2.

27. MAIJ.

S. Restituta V. non alteri , quam
Christo nubere desiderans , Or-
cum corrivalem sensit : sed fugā
elusit dolos. Fugiens bonum An-
gelum Comitem habuit , & in car-
cere

cere & inter tormenta solatorem.
Scorpionibus pro Christo cæsa, ce-
cinit dicens, omnia sibi propter
Christum dulcia esse. Si DEUM
amas, nihil tibi difficile erit.

O fac mihi dulcia omnia, quæ
DEI sunt! Doce me & nunc, & to-
tâ vitâ meâ fugere pravas Dœmo-
num suggestiones, & ad me bonos
genios mitte: ut cum his & tecum
apud DEUM totam æternitatem
vivam post mortem. Hoc idé, &c.
pag. 2.

28. MAIJ.

S. Germanus Episc. mortis suæ,
ut semper esset memor V. Calend.
Jun. (quæ ultima dies fuerat) ad
lecti spondam adscripsit. Expertus
nimirum à primis annis, nunquam
non de vita hominem periclitari:
nam nondum nato mater, nato
avia venenum miscuerunt. Quid-
ni omnem horam timeas, quando
omnis ultima esse potest?

O sim

O sim & ego ita semper mortis
meæ memor , ut & vigil, & dormi-
ens semper sim paratus: nec peto
scire , quando moriar, nisi id velit
DEUS, sed ut sanctè moriar, hoc
peto : & ut tu id roges ac impetres.
Hoc idem, &c. pag. 2.

29. MAIJ.

S. Andreas de Chio Febri æstu-
ans, MARIÆ castitatem vovit , &
sanitatem impetravit. Constantinopoli inter dolores pro fide sine
doloris signo hoc unum dixit : MA-
RIA juva me. Vis à MARIA dili-
gi? dilige.

Per hos ego te dolorum tuorum
agones, & per DEIparam Virgi-
nem, tuam meāmque Matrem ro-
go, ad sis mihi inter dolores ultimi
agonis mei : & cùm ego non am-
plius potero, clama pro me: MA-
RIA Virgo juva eum. Hoc idē, &c.
pag. 2.

30. MAIJ.

30. MAI.


S. Isacius, Valenti Imp. interitum vaticinatus, nisi desisteret Catholicos oppugnare: in vinculis detentus, donec ex prælio crediret Valens; veridicus inventus est: nec enim redijt. Morienti cœli portas aperuit DEUS. Ut & tibi aperiantur esto servus fidelis.

Adesto mihi obseero, quando iturus sum ad portas mortis, & ora pro me DEUM; ut sicut tibi, ita & mihi morienti per tuas, & omnium Sanctorum preces pateant Cœli portæ. Hoc idem, &c. pag. 2.

31. MAIJ.

S. Petronilla V. S. Petri filia, inter omnes morbos & dolores Deo semper gratias agebat. Recusato nobili matrimonio, precibus se totam impendit, inter quas etiam acceptâ Eucharistiâ exspiravit. Sic mori cupis? assuesce sic vivere.

Ora pro me, S. Virgo, ut nullo
mihi impedimento sit corpus me-
um & proximus, quò minùs in vi-
ta frequenter & devotè orem; ut
ubi & corpus, & omnia deferam, ad
locum eum perveniam, ubi DEUM
sine fine laudabo. Hoc idem, &c.
pag. 2.



JUNIUS.

I. JUN.

Sanctus Simeon solitudinis aman-
tissimus, multum à Dœmonibus
passus: sed orationibus & jejunis
vicit. Quid mirum toties nos
vinci? tepidè oramus, & malè je-
junamus.

Arma me contra omne id, quod
morienti mihi obesse potest ad
æternitatem. Ora, ut oratione &
jejunio tentantem me hostem ita
semper vincam, ut cum DEO &
tecum

tecum in æternitate triumphem.
Hoc idem, &c. pag. 2.

2. JUN.

B. Blandina V. à manè usque ad vesperum pro fide cruciata, inter dolores clamabat: Christiana sum, apud nos nihil sceleris admittitur. Inter bestias & tormenta illæsa, caput pro Christo dedit. Ab hac Virginis voce quām procul absum!

O S. Virgo! ora, ut ita vivam & ita moriar verè Christianus, ut nihil apud me, & nihil à me admittatur sceleris. Defende me, ne me irretire possit Dœmon, & impetra, ut non tradat bestijs meam hanc animam tibi confitentem DEUS meus. Hoc idem, &c. pag.

3. JUN.

SS. Pergentinus, & Laurentinus fratres, quod Christiani, fustibus & inedia vexati: se ipsos animarunt invicem, non præsentia, sed æterna, ut timerent tormenta. Inter

præ-

præsens & æternum magna est di-
versitas: vide, quid eligas.

Amem æterna præ his, quæ ad
mortem stulta corda invitant; ti-
meam æterna præ his, quæ hîc
terrent: & ita per mortem feli-
cem ad vitam felicem inviter. Hoc
idem, &c. pag. 2.

4. JUN.

S. Quirinus Ep. innumeris tor-
mentis cruciatus, DEUM negare
noluit, inquiens: à DEO se didicis-
se, pro imortalitate mortem con-
temnere. Quid de te sentias, qui
non jam finis violenter tibi auferri
DEUM; sed sponte abjicis?

O quæso nulla creatura è corde
meo eximat DEUM! ut propter
DEUM, & vita & morte contem-
ptis, ita moriar, ut in moriente
corde meo se inveniat DEUS meus,
& se cor meum in DEO meo inve-
niat in æternitate. Hoc idem, &c.
pag. 2.

5. JUN.

5. JUN.

S. Bonifacius Germaniam ad Christum multo labore convertit: ad labores à Michaële Archang. animatus. Tandem à Frisonibus, quos Christo nuper genuerat, dum eos S. Chrismate unctionatus adjicit, cum 51. Socijs peremptus. Nunquam DEUS suis operarijs deest.

Anima etiam me unâ cum S. Michaële, morientium Advocato, in ultimo vitæ agone: ut fortiter contra hostes infernales pro DEI gloria pugnem, & à vobis in æternam gloriam deducar. Hoc id est &c.
pag. 2.

6. JUN.

S. Norbertus Præmonstraten-sium Fund. & Archi-Episc. Magdeburgi, quod in pravos urbis mores pro D E O liberè diceret, odia sibi peperit. Se suósque æternū MARIÆ devovit. A Christo Crucifi-xo, cui imprimis erat devotus, edo-
ctus

Etus de Ordinis sui progressu.
Quidni Crucifixum JESUM, &
MARIAM ardenter diligo?

Commenda me Christo iu Cru-
ce morienti, & MARIÆ, ut sim si-
cut oliva fructifera in domo DEI
mei: ut vivens & moriens sit cor
meum conscientiæ candore orna-
tum, & in paradisum æternitatis in
pace transferar. Hoc idem, &c.
pag. 2.

7. JUN.

S. Robertus Abb. lautè epulari
sibi visus, si in Paschate avenaceum
panem butyro adipatum comedis-
set. Mortuus à tribus Angelis cœ-
lo visus est inferri, nequidquam
contrà latrantibus Dœmonibus.
Angelos fac habeas comites, & ri-
debis Dœmonem latrantem.

O S. Roberte, latrabunt & con-
tra me morientem Dœmones, ut
cœlo non inscribar: verùm assiste
tu mihi tunc cum Angelis tuis &

meo Custode; ut non prævaleant mali Angeli, sed à bonis ad bonam bonorum æternitatem deducar. Hoc idem, &c. pag,

8. JUN.

S. Medardus opum suarum, ex patrimonio, non alium usum habuit, quām liberalitatem in pauperes. Puer prætextam suam cæco donavit, & ad matrem nudus rediens gestijt, quòd Christum vestijset. Morituro cœlum pandi est visum. Si liberalibus in pauperes cœlum aperitur; profectò avaris claudetur.

Amem obsecro pauperes, ut me etiam DEUS amet! Aperiam erga illos cor, ut & mihi morienti DEUS aperiat Cœlum, & animam meam paventem contra infernales vultures securè eò deducat. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. JUN.

SS. Primus & Felicianus Fratres,
pie-

pietate sua contra Deos, patientiam
contra Tyrannos, pugnârunt. Vir-
gis, plumbatis, leonibus & ursis
vexati, capite multati triumphâ-
runt. Frustra triumphos exspe-
ctas, si pugnare nolis.

O nobile par Fratrum, animate
me in adversitatibus, ut patientiam
& pietatem me JESU crucifixi ser-
vum probem; ut in morte me ille
vocet ad coronam aeternitatis, ubi
vobiscum triumphem. Hoc idem &c.
pag. 2.

10. Junn.

S. Margarita Scotorum Regina,
noctu non prius cubitum conces-
sit, quam de SS. Triade, S. Cruce,
B. V. Matutinum, certas preces
pro defunctis & Psalterium Davi-
dis percurrisset, & 6. pauperum pe-
des abluiisset. Manè 9. Infantulos
pauperes flexis genibus cibo pasce-
bat. Per diem cum Malcholino
Rege Conjuget 300. pauperibus ci-

bos ministrabat: ipsa dein sola priusquam accumberet, 24 pauperibus ministrabat. Sic peracta dies, putas, perditur?

Ora pro me ut ego dies noctesque vitæ meæ sic transigam ad DEI mei honorem, ut per illos ego præparer, non ad noctem, sed diem æternitatis inchoandum, ubi hinc migrabo. Hoc idem, &c. pag. 2.

II. JUN.

S. Barnabas Christi discipulus, D. Pauli socius, cùm Christus Salaminæ, æternam gloriam bonis, pœnas æternas malis præparatas prædicaret, lapidibus obrutns, & in ignem coniectus est. O quam est gloriosus, qui pro fide moritur!

Habe mei curam, S. Christi discipule, cùm in ultimæ iufirmitatis meæ loco decumbam, ut inde non ad eum locum descendam, ubi omnibus omnium infirmitatū tor-

men-

mentis maiores sunt dolores, quia æterni: sed ad amœnissimum æternæ sanitatis locum ascendam. Hoc idem, &c. pag.

12. JUN.

SS. Basilides, Cyrus, Nabor & Nazarius milites Rom. propter Christum vinciti, nec in carcere, nec in tormentis cessarunt Christum prædicare. Verus Christi servus homines non timet.

SS. Milites, sicut exemplo vestro me docuistis homines non timerem, sed potius eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam; ita etiam precibus vestris mihi impetrare ut usque ad finem vitæ meæ timeam DEUM, & ei soli placere studeam. Hoc idem, &c. p. 2.

13. JUN.

S. Antonius de Padua severè pro concione in vicia invectus, multos à pravitate vita revocavit: inde Dœmon ei infestus, noctu suffoca-

re conatus est: Sed MARIÆ nomine Dœmonem fugavit. Quid tu agis?

S. Antoni, effice apud JESUM & MARIAM, ut MARIA à me Dœmonem, præfocare me æternūm conantem, fuget, & JESUS morienti unà cum illa mihi benignus assistat. Hoc idem, &c. p. 2.

14. JUN.

B. Basilius Magnus per MARIAM impetravit, ut Julianus Apostata divinitus puniretur. Virginitatis florem orationibus, jejunijs & studijs ita custodivit, ut illibatum tumulto inferret. Tu putas, tuam in otio, delicijs & tepercustodies?

Illucesce mihi sub vesperam, ac tenebras mortis meæ tuis meritis & precibus discute: & me ex hoc deserto feliciter eductum, deduc salvum in terrram, imò in cœlum promissionis. Hoc idem, &c. p. 2.

15. JUN.

S. Vitus admodum puer baptizatus: quod à grè ferens pater, ipse filium Judici verberibus castigandum sistit: sed is flagra Christiana fortitudine sustinet. Dein mulierculis seducendus traditur: sed ope cœlesti vicit. Romæ profide Martyrio affectus. Nec inter parentes semper tuta fides.

S. Vite ora pro me, & impetra mihi illam animi fortitudinem, ut à recto tramite nec parentes, nec consanguinei, nec deliciæ, nec minæ mea vocare possint: sed usque ad æternitatem currām, in quâ me coronet JESUS omnium bonorum remunerator. Hoc idem, &c.
pag. 2.

16. JUN.

S. Ludgardis V. non ignobiles habuit procos: sed corrivalis Christus, ut sibi eam desponderet, in pectore cor suum saucium ostendit,

dit, & ejus vulneris nectare potavit: Ex quo omnia ei humana vilescere, & nulli præter Crucifixi amores, placere. Moritura JESUM & MARIAM sibi obvios habuit. Sperne mundum & sapiet JESUS.

S. Virgo, ora pro me, ut ad tales morte ita cor meum disponam, ut nil me delectet, nisi quod est secundum cor JESU & MARIAE: ut Crucifixi & MARIAE amantissimus, illos ad magnum illud iter duces habeam. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. Jun.

S. Rainerius ad infames adolescentiae scopulos naufragium innocentiae fecit, & noxius pudor fecit, ut pœnitentiæ tabulâ non enataret. Quare objurgatus ab Angelo, bona fide se reum peregit, cum tanto dolore, ut ex continuis lachrymis oculos perdiderit. Erubescis coram uno homine: O quid facies olim coram toto orbe.

Ora pro me, ut ita sancte, ita
crebro confessiones meas, dolore,
& proposito solidio animatas (non
per superficiem tantum) instituam,
quasi jam jam moriturus; ne ulti-
mum, idque gravissimum in mor-
te naufragium faciam. Hoc id &c.
pag. 2.

18. JUN.

SS. Marcus & Marcellianus fra-
tres propter fidem in pedibus clavis
confixi, diem noctemque in tor-
mentis inter divinas laudes transfe-
gerunt, dicentes: nunquam se tam
jucundè epulatos, quam libenter
hæc pro Christo paterentur. Quam
malè epulabitur, qui propter mun-
dum Christum vel opere, vel ver-
bo negat.

O ardeam & ego illo amore, ut
tam libenter pro Christo omnia
humana spernam, & injurias &
quidquid mundus intulerit adver-
si, patiar; ut aeternum vobiscum

130

JUNIUS.

ad mensam Regis cœlestis epulari possim. Hoc idem , &c. pag. 2.

19. JUN.

SS. Gervasius & Protasius frater,
distributo patrimonio in pauperes,
& servis libertate donatis , Gentilium
Sacerdotes in se concitârunt.
Cumque negare Christum non
vellent : hic gladio , ille plumbatis
enectus. Mali te oderunt? gaudet
hoc bonitatis tuæ testimonium est.

Impetrare mihi , ô SS. Fratres ,
ut ita semper vivam , quo DEUS &
Cœlites me ament : licet totus
mundus , & omnes Dœmones
oderint : ut post talem vitam cum
DEO & ejus amicis æternum gau-
deam , & DEUM sine fine amem.
Hoc idem , &c. pag. 2.

20. JUN.

S Silverius Papa omni humano
respectu altior , & constantissimi
animi , à vero & recto deduci nun-
quam potuit : ideo in exilio post
mul-

tas ærumnas extinctus est. Quid
juvat esse in patria, & exulare à
D E O ?

Ora pro me, ut hoc exilium,
quod habitamus omnes filij Adæ,
non ejiciat me in exilium æternum;
sed ducat ad patriam cœlestem,
ubi nobis MARIA ostensura est JE-
SUS benedictum fructum ventris
sui. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. Jun.

B. Aloysius Gonzaga ope MA-
RIÆ natus, adhuc infans ostendit,
qualis futurus esset. Prima verba,
dum fari cœpit, dixit: JESUS &
MARIA. Hanc gradus ascendens,
in singulis salutavit. Vix audijt JE-
SUS aut MARIAM dici, & mox in
teneras lachrymas solutus, & in
amoris tesseram Florentiæ coram
eius imagine Virginitatem vovit.
MARIAM sumptâ Eucharistiâ, con-
fulens de vitæ statu, audiit: Socie-
tatem JESU ingredere. Ingressus

(sed post multas cum Patre pugnas) in ea instar Angeli vixit, & mortuus nullius gravioris noxæ conscius. **Q**ui sic vivit, quidni lætus moriatur?

O Angelice Juvenis, JESU & MARIÆ ardentissime amator! doce me ita tenero, & affixo cœlis corde orare, ita JESUM & MARIAM ardenter amare, sicut tu: ita JESU in Eucharistia, & MARIA consiliarijs in omnibus agendis uti, sicut tu; ut moriens lætus illuc abeam, ubi unà cum illis es tu. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. JUN.

S. Paulinus, Juvenis amplissimum patrimonium in pauperes distribuit. Episcopus Nolanus factus, omnibus in captivos liberando expensis, se ipsum viduæ dedit in commutationem pro filio abducendū. Quid huic charitati dabit D E U S, qui etiam haustum frigidæ remunerabitur?

Ora,

Ora, ne moriens abripiar in captivitatem æternam. Offer merita DEI JESU & tua pro me: Solve vincula mortualium tædiorum meorum in tædijs mortis meæ! Voca me, vindica me, & duc me hinc illuc ad liberos DEI. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. JUN.

S. Maria Ogniacensis Crucifixum nunquam sínè lachrymis asperxit, nunquam coram eo sínè suo, vel aliorum bono oravit. Centies quotidie genibus flexis oravit, & trecentis plagis corpus laceravit. Fœminæ morienti, & ob vestium luxum damnandæ, cor pœnitens impetravit. Quid non impetrat DÉO per orationem familiaris?

One patere memori desolatum: impetra mihi orationis studium, & in hora mortis cor verè pœnitens, ut migrans hinc Spiritus meus, ad JESUM & ad MARIAM abeat,

æternūm victurus in cœlo. Hoc
idem, &c. pag. 2.

24. JUN.

S. Joannes Bapt. in utero san-
ctificatus, D E U M suum in M A-
R I Ä utero latenter agnoscit & in
gaudio exultavit. A puero eremū
habitavit : cibum habuit locustas &
mel agreste, vestem camelī exuvias.
Inde pœnitentiam prædicans, viam
Christo munivit. Sic vivunt san-
ctificati. Væ mihi!

Ora pro me S. Joannes ut post
tot commissa peccata dignos agam
pœnitentiæ fructus, & sic sinè pec-
cato renascar æternitati. Confige
cor meum, ut non adhæreat hilce
mundi fallacijs, sed soli D E O : & in
umbra mortis meæ me trepidum
unà cum JESU & MARIA sub un-
bra manus tuæ protege. Hoc
idem, &c. pag. 2.

25. JUN.

S. Gallicanus licet Gentilis, vo-
tum

tum fecit DEO pro victoria: & Angelum cum cruce habuit stratēgū, quo duce ipse Angelis cinctus Scy-thas devicit. Redux Victor, Christo nomen dedit, & mundo valedixit, pauperum ac peregrinorum factus Pater, hospes, servus: nunquam major, quam cùm se & mundi gloriam vicit.

S. Dux, adesto mihi, cùm ultimum mundo dicam vale per mortem: adesto mihi cum tuis Angelis & Cruce, quando cùm principe te-nebrarum pugnabo; ut vincam, & moriar, æternum coronandus. Hoc idem, &c. pag. 2.

26. JUN.

SS. Joannes & Paulus fratres, Juliani impij familiaritatem declinârunt, ne contaminarentur in moribus. Omnes facultates in pauperes erogârunt, ut paratores ad mortem essent. Ne sic desipiā, ut mundi sim amicus, & DEI ini-micus!

Ora-

Orate pro me, ut fugiam & ego
inimicas amicitiae Christi amicitias.
Amicitia hujus mundi, scio, inimica
est DEO. Me precibus vestris ju-
vate, ut DEUM præ omnium ho-
minum respectu habeam semper
præ oculis; & DEU[m] potius, quam
ullius mortalium amicus vivam &
moriar. Hoc idem, &c. pag. 2.

27. JUN.

S. Ladislaus Ungariæ Rex Apo-
stolicus, familiares in aula sua ha-
buit Angelos; qui tum in duello
cum patruo suo, tum in alijs pugnis
astiterunt. Dux lectus copiarum
pro recipienda terra sancta, in ipso
aditu gloriose occumbens cœlum
ingressus est. Angelos devotè co-
le: experieris amicos.

O S. Rex, defende me cum An-
gelis illis tuis in ultimo & singulari
meo certamine. O experiar opem
tuam, ut vincam in horrendo illo
mortis duello, ubi mihi pro æterni-
tate

tate pugnandum , vincendum & moriendum erit. Hoc idem , &c.
pag. 2.

28. Jun.

~~on~~ S. Potamiana spretis pluribus procis contra Tyrannum Virginitatem suam patientiâ defendit. Ad rogum ducta à Baslide est contra populum defensâ ; gratitudinis ergo ad cœlum invitavit , quod capite plexus adjit. Quàm gratus tu es Cœlitibus ?

O Cælestis Virago ! quæso , ora illuc pro me , ut pro beneficijs è cœlo acceptis gratus vivam semper , gratusque moriar . Tuere me viventem & morientem contra hostes omnes in terris : ut æternitate coronatus , æternum DEO , ac tibi sim gratus in cœlo . Hoc idem , &c.
pag. 2.

SS. Petrus & Paulus Apostoli , Ecclesiæ Principes : quorum ille Christi in terris Vicarius , quæ ad ignem

ignem Jerosolymis peccaverat, iugi oculorum imbre plectens, JESUM secutus est usquè ad mortem crucis. Hic verò Vas electionis nomen JESU portavit coram gentibus; capite abscisso lac fudit: caput resectū ter JESUM inclamans triplici saltu tres fontes elicuit. Quanta vis charitatis Petrum perfidum, & Paulum persecutorem DEO reconciliavit!

Orate pro me SS. Appstoli, ut in ultimo vitæ articulo me non periclitari permittat D E U S: adeste mihi, sicut pluribus morientibus adfueritis; ne in tempestuofo illo portu naufragium faciam, patiarque. Hoc idem, &c. pag. 2.

30. JUN.

S. Erentrudis V. Abbatissa, pauperum pedes abluebat, & ulcera ceu gemmas tractabat. Ad mensam accumbens, plūs divinis colloquijs, quām cibo pascebatur. Dicere

cere solebat: Mihi adhærere DEO bonum est, ponere in DEO spem meam. Annon & tibi bonum es-
set?

O DEO addicta V. illam mihi divinorum aviditatem, illam DEO adhærendi voluntatem, illam à Deo cordatā spem impetra; ut illud adhærere DEO bonum, sit mihi bonum æternūm, neque me à DEI adhæsione avellat æternitas. Hoc idem, &c. pag. 2.



J U L I U S.

I. JUL.

SANCTUS Theodoricus à parentibus ad nuptias compulsus, primâ nocte conjugi Votum Virginitatis suasit; & consulente S. Remigio persuasit. Inde Sacerdos ordinatus, virtutum studio deditus, cù fama sanctitatis obiit: quem Rex suis ipse humeris ad sepulchrum tulit.

lit. In quanto pretio tum erat
Virtus!

S. Theodorice, impetra mihi tā
flexibilem animum ad virtutes, ut
ijs animam meam ornam, quò pla-
cere possim JESU & MARIÆ, ut in
hora mortis meæ mihi adsint, & ad
æternam gloriam me deportent.
Hoc idem, &c. pag. 2.

Postquam B. V. nuntiantे An-
gelo Verbum d̄svinum concepe-
rat, ivit in montana, divinitùs im-
pulsa, tum ut Joannes sanctificare-
tur, tum ut Elisabeth Cognata gra-
tularetur fructum ventrīs à DEO
imperatum. Felix quem MARIA
cum JESU visitat,

O Virgo! non potui te amare
antequam nascerer, sicut parvulus
Joannes: ora ut saltem nunc, & in
hora mortis meæ, & per omnes
beatitatis æternitates sim in nume-
ro servorum & filiorum tuorum
lætantium in te. Ut hoc fiat, ô
Do-

Domina , visita , me frequenter
cum tuo JESU: ita ut nunc & in ho-
ra mortis meæ visitatio tua custo-
diat spiritum meum hinc migrantē,
ut in æternūm unā tecum Magnifi-
cet anima mea Dominum , & exul-
tet spiritus meus in D E O salutari
meo. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. JUL.

S. Irenæus pro Christi fide in
equuleo suspensus , ferreis ungulis
in lateribus disceptus , in flamas
injectus , aliisque cruciatibus inter
gratias D E O actas immortuus. Si
patiendum : cur non libenter , ut
prosit ?

Nemo est , scio , qui hinc exeat ,
quin adversis exerceatur : & quam
infelix , si ex his in æternas miserias
labatur ! Ora , ut ita hujus mundi
adversitates sustineam , ut per eas
securam mihi viam sternam ad bea-
titatem. Hoc idem, &c. pag. 2.

4. JUL.

4. JUL.

S. Udalricus à puero levibus sermonibus nec linguam, nec aurem dedit, socios mundi declinavit, Cupidinem cilicio absterruit, Veneris flamas immisso in ignem digito extinxit, fœminas omnes fugit. A teneris sic assuescere multum.

Assiste mihi, & instrue me, quid fugere, quid omittere, quid agere debeam, ut DEO placeam in vita & morte : sed simul precibus, & meritis tuis juva, ut, quod doces, opere compleam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

5. JUL.

S. wilhelmus Mathematicus & Orator insignis ; sed factus Episc. maximè celebris sua in pauperes liberalitate, quibus vesciendis non semel seipsum nudavit. Cùm omnia erogasset, divina manu deinceps aurum, frumenta, vina recepit. Miraris DEUM in te tam il-

libe-

liberalem? vide qualis tu sis in pau-
peres.

Impetra & mihi hoc donum san-
ctæ in omnes charitatis; ut in hora
mortis meæ liberalem & meiaman-
tem reperiam illum , qui omnium
bene amantium amantissimus
est DEUS. Hoc idem , &c. pag. 2.

6. JUL.

S. Goar, Trevirensium Aposto-
lus inimicis suis euntibus , ut inno-
centiam ejus apud Archiepiscopum
traderent, & mensam paravit, &
in via ne deficerent, cervam impe-
travit , quæ lacte foveret. Ad tri-
bunal Archiep. fornicationis accu-
satus, ex infante patrem suum ro-
gavit , qui alium linguâ & digito
ostendit. Discite benefacere his,
qui vos oderunt.

Innocentem ab omni nævo vitā
non duco , multorum apud DEUM
criminum reus, sed tuis precibus
mihi impetra talem pœnitentiam

in vita mea; ut in morte & post mortem coram DEO Judice innocens compaream. Hoc idem, &c. pag. 2,

7. Jul.

S. Wilibaldus puer adhuc, se peregrinum in mundo agnovit. Hinc positis Regijs insignibus, peregrinorum more Romam cum Patre, Fratre & Sorore, dein Jerosolymam peregrinatus. Quām desipit, qui hīc sibi patriam fingit!

S. Wilibalde cum tota sancta familia tua ora pro me, ut ita me in hoc exilio & peregrinatione mea geram; ut non adhæream corde his perituriis rebus, sed toto corde aspirēm & tendam ad patriam cœlestē. Hoc idem, &c. pag. 2.

8. JUL.

S. Chilianus cum Colomanno, & Tomano Soc. Christum in Franconiam primò intulerant, ipsūmque Ducem Gosbertum Herbipoli Chri-

Christo conciliârunt. Huic dum
fratris defuncti Conjugem dissua-
dent, ab ea necantur. Tu, si sapis:
nec blandienti, nec iratae fœminæ
fide.

S. Chiliane cum Socijs impetra
mihi eos animos, ut nec blandi-
menta, nec terrores me unquam
à veritate avertant: sed eam per
omnia pericula usque ad mortem,
& si opus est, sanguine fuso con-
stanter profitear. Hoc idem, &c.
pag. 2.

9. JUL.

S. Anatolia V. ob fidem in exi-
lium missa. Sed ibi, cùm morbi-
dorum esset asylum, instruitur Ma-
gus, qui immanem serpentem in
eam armet. Erravit serpens & ma-
gi collo implicitus eum suffocâsset,
nisi precibus Virgo liberâsset. Si
malus es: time serpentem inferna-
lem.

Intercede pro me, ne antiquis
G ille

ille & callidus serpens, qui calca-
neo, hoc est, ultimo vitæ meæ in-
sidiatur, mihi noceat, méque Pa-
radiso extorrem faciat; sed ut po-
tiùs in Paradiso Beatorum, è quo
ille infelix excidit, æternūm tecum
vivam. Hoc idem, &c. pag. 2.

10. JUL.

S. Felicitas septem filios suos
Martyres in tormentis, Januarium
sub plumbatis, sub fustibus Felicem
& Philippum, in præcipitio Silvanū:
Alexandrum, Vitalem & Martia-
lem sub securi, generosè hortata,
non pœnas, sed quæ cœlum gaudia
spondet, aspiciant. In filijs post-
quam septies mortua, ferro & ipsa
Martyrium subiit. Hæc verè est
Mater!

Esto & Mihi Mater: adesto mihi,
& adhortare, ut & ego in agône
meo ultimo pro DEI gloria glorio-
sus decertem, & moriar de hoste
victor; tecumque & cum filijs tuis
æter-

æternūm DEO triumphos decantē.
Hoc idem, &c. pag. 2.

II. JUL.

S. Golinducha adhuc Gentilis epulo assidens, animo cœlestes delicias primò, dein fame & siti cruciatum apud inferos Epulonem, & cum eo proprios parentes contemplata, ad Christum se convertit. Novissima cogita: & non peccabis.

O recorder & ego æternitatis utriusque in omnibus actionibus meis; & sic me præparem ad beatam mortem, per quam deducar ad vitam sínè morte vivendam, ubi æterna est felicitas, & felix satietas! Hoc idem, &c. pag. 2.

III. JUL.

S. Joannes Gualbertus cognati sui interfectori, in Christi gratiam veniam poscenti dedit; & templum ingressus, vidit Crucifixum capite annuere, & cœlum donare. Hac charitate Cœlum expugnatur.

Roga etiam pro me J E S U M
Crucifixum, ut in tui gratiam mihi
omnia ignoscat, quibus eum offen-
di. Ego etiam ex nunc omnibus
libentissimè propter ipsum ignosco.
Utinam & nunc tibi pro me felicem
mortem petenti inclinato capite
annuat D E U S! Hoc idem, &c.
pag. 2.

13. JUL.

S. Justina V. inter carnificinam
læta, rogata à Zenone è paradiſo
fructus mitteret. Misit strophiū:
quo dum frontem cum risu abster-
git, & Christianus & Martyr factus
est, Quid horres dolores, quibus
Cœlum emitur?

O S. Virgo! mitiga tuâ illâ læti-
tiâ mortis meæ dolores, & mor-
tuales meos sudores illo tuo fuda-
rio absterge; ut lætus moriar, &
amoënam Paradisi æternitatem læ-
tus ingrediar. Hoc idem, &c.
pag. 2.

14. JUL.

14. Jul.

S. Bonaventura Bibliothecā non alia usus, quām Crucifixo. Primus sub noctem pulsū aeris Campanī instituit , quo B. V. salutamus. Quid desit, si JESUM habeam & MARIAM?

Rogo te per JESUM Crucifixū, & MARIAM, ora pro me, ut bonus Crucifixi discipulus, bonus MARLÆ servus & filius vivam & moriar. Hoc idem impetra mihi S. Henrice Imp. castissimæ Cunegundis caste conjux; & omnes , &c. pag. 2.

15. Jul.

S. Jacobus Nisibensis Ep. precibus saxum in testimonium veritatis in sexcentas partes confregit ; & hominem fictè mortuum , verè mori , dein rursum vivere fecit. Cur tuæ preces non audiuntur? vide quomodò ores

Ora pro me , optime orator ,
G 3 ut

ut & ego bene discam orare. Tota
mea & vita & mors sit sancta oratio,
ut etiam in æternitate orem, &
DEUM adorem, & semper amem.
Hoc idem, &c. pag. 2.

16. JUL.

S. Raineldis V. Christo verè ad
aras usquè amica, quando Crucis
in modum prona, inter laudes di-
vinas virginitatis DEO victima ce-
cidit. Vis DEO esse charus? gar-
tias frequenter age.

En ego humilis corde, ad aram
illam tuo sanguine cruentam sup-
plex provolvor, ut id pro me à
DEO impetres; ut amando DEUM,
illique gratias agendo vitam, mor-
tem, & æternitatem meam im-
pendam. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. JUL.

S Alexius, prima nocte nuptia-
rum Edessam fugit, & inter men-
dicabula latuit. Proditus Romam
redijt, & in paterna domo ignotus,

tan-

tanquam mendicus delituit usque ad mortem. Quām magnus erit, qui sic se humiliavit?

S. Alexi Virgo, Sponse, commendam me MARIÆ, Matri humiliū, ut seriō eligam abjectus esse in militante domo DEI mei usque ad mortem: ut post mortem similiosus in triumphante DEI mei domo. Hoc idem, &c. pag. 2

18. JUL.

S. Symphorosā VII. filiorum MM. Mater, saxo ad collum alligato in aquas demersa filios hortata: animosè per mortem sequerentur in Cœlum. Omnes VII. ad palam alligati, Crescentius ferro guttur, Julianus pectus, Primitivus umbilicum, Nemesius cor trajicitur: Eugenius in duas partes, membratim secatur Justinus: Sancteus telorum fit scopus. Felices hac matre filij: his filijs mater!

Orate pro me unà cum Matre

vestra Fratres fortissimi: conjurate
in meam salutem, & impetrare mi-
hi felicem hinc exitum; ut sim Fra-
ter vester & ejusdem cœlestis Pa-
tris hæres, inter electos filios in æ-
ternum. Hoc idem, &c. pag. 2.

19. JUL.

S. Arsenius Arcadij & Honorijs
Magister, audita è cœlo voce: Fu-
ge, tace, quiesce. Fugit ex aula
in Eremum, continuò lachryma-
tus, mortis se horam timere dixit.
Quis ego? & non timeo? heu me!

O timeam & ego timore sancto;
ut morte non timenda, sed speran-
da & amanda defungar: & demū il-
lic tecum sim æternūm, ubi nemo
habet malum ullum, quod timeat.
Hoc idē, &c. p. 2. 20. JUL.

S. Margarita V. pro Christi fide
virgis cæsa, & uncis lacerata: in
carcere Dæmonem Draconis specie
infestum Cruce fugavit, & cœlitùs
solatia accepit. Cur tu solatia petis
è terra?

Ade



AUGUSTUS.

1. AUG.

SS. Fides, Spes, Charitas, S. Sophiæ filiæ, pro Christo & fide passæ, vicerunt Tyrannum, dum occubuerunt, triduo post sequente Matre. Sinè his virtutibus cave cœlum tentes.

Orate pro me, ut vestris vestrorūmque nominum virtutibus instructus ita vivam, & moriar, ut tandem in Regnum charitatis inductus, æterna charitate amem illum, qui charitate perpetua dilexit me. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. AUG.

S. Franciscus Seraphicus, hodie in templo MARIÆ de Portiuncula, gratiam priùs inauditam à DEO impetravit, Indulgentiam plenariam omnibus, qui confessi (cæteris.

ris operibus seclusis) eo die intem-
plo illo orarent. Quam Sixtus IV.
& V. ad omnes Ordinis Seraph.
Ecclesias propagavit. Hic salutis
tuæ satage, si sapis.

O Seraphice Pater, commenda
Hanc & ultimam vitæ meæ horam
MARIÆ de Portiuncula & Angelis
tuis. Doce cor meum, ut sit ad JE-
SU & MARIÆ cor & nutum; &
impetra illi plenariam à JESU per
MARIAM pro hora mortis Indul-
gentiam. Hoc idem &c. pag. 2.

3. AUG.

S. Stephani Protom. Corpus di-
vinitùs repertū, hodie translatum.
Flores corpori admoti cæcæ visum
restituerunt. Quid nocebit, si tales
tibi concilies amicos?

Adesto mihi ope tua S. Stephane,
usque ad tumbam, & me non so-
lum hic videre fac ea, quæ DEO
placita sunt, sed ipsum DEUM æter-
num in cœlis. Hoc idem, &c. p. 2.

4. AUG.

4. AUG.

S. Dominicus dum vixit, in ordine suo MARIÆ honorem per Rosarium quam maximè promovit. Quatuor Insulas, ut alij quærunt, sic ipse rejicit. Ter quotidie in se flagello sœvijt. Morituro MARIÆ adfuit. Nemo frustra MARIAM colit.

Ora pro me, ut MARIAM ita mihi sanctis artibus devinciam; ut sicut tu ipsa præsente in cœlum abijsti, ita & ego ipsam experiar in agone Patronam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

5. AUG.

Anno Christi 365. Romæ Johannes Patritij sanguinis, quod prole careret, ingentium opum hæredem scripsit MARIAM. Inde Hodie monstrante cœlo nivibus locum, in Monte Exquilino Templum, quod MARIÆ Majoris dicimus, ædificavit. Opum hæredem eam scri-

164 AUGUSTUS.

scribere non potes? Operum bo-
norum scribe & animæ tuæ.

Oro te Domina, dignare opera
omnia vitæ meæ, mortem & ani-
mam meā pro hæreditate tua acci-
pere; sicut & nunc tibi transscribo.
Quare rogo, ut semper invigiles,
& maximè in hora mortis, ne in
tuam hæreditatem hostis manus
injiciat. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. Aug.

Hodie in monte Thabor trans-
figuratus est JESUS; & audita Pa-
tris vox: Hic est filius meus dile-
ctus, in quo mihi complacui, ipsum
audite. Audi illum, ut audiat & te.

Miserere mei, vivorum & mor-
tuorum S. Judex, ut resurgens cor-
pus meum configuretur corpori
claritatis tuæ, videamque gloriam
tuam, & experiar bonum esse, ne
ibi esse, ubi tu es. Hoc idem, &c.
pag. 2.

7. Aug.

7. AUG.

S. Albertus à parentibus DEO promissus, severè moram arguente MARIA, datus est. Civibus suis fame pressis tres cum commeatu cœlo remige triremes impetravit. DEO, non diris, tuos devove.

Ora, ut sicut te ad aram, quasi victimam, stitere patentes: ita tu cum MARIA animam meam post mortem sistere possis cœlo, hostiam DEO placentem. Hoc id &c.
pag. 2. 8. AUG.

S. Cyriacus, filia Regis Persarum à dœmone liberatâ, Regem & 340. alios baptizavit. Romæ post multos circa proximum labores, securi percussus est. Felices labores, quibus Cœlum & impletur, & obtinetur.

Clament labores tui pro me, ut in hora mortis meæ non moriar, sed vivam: separetur anima à corpore in tempore, quæ mors est; sed

con-

conjugatur cum DEO in æternitate, quæ est vita æterna. Hoc idem, &c. pag. 2.

9. AUG.

SS. Firmus & Rusticus post plaga-
gas à patria pro Christo acceptas,
cibati sunt ab Angelis in carcere.
Ab ijsdem gladio cæsi, sunt sepulti.
Sic amantur ab Angelis, qui pa-
tiuntur pro Christo.

Orate pro me, ut ita libenter pro
Christo patiar, ut & vitæ, & mortis
meæ curam vobiscum fuscipient
Angeli lucis contra Angelos tene-
brarum, è quibus à carcere mortis
hujus egressus educar ad DEUM.
Hoc idem &c. pag. 2.

10. AUG.

S. Laurcntius, quod thesauros
Ecclesiæ in pauperes dispersisset, in
craticula assatus est, & gratias egit
DEO, quia januas ejus ingredi me-
ruisset. Si patijanua est ad DEUM,
væ renuentibus pati!

Ac-

Accende me tuo illo igne, ut pro
DEO patiar : & cùm ego jacebo
in lecto ultimo, qui valde me uret
de æternitate sollicitum , ora pro
me, ne degenerem me reperiat
DEUS : sed ita obdormiam , ut
mortem meam sequatur nox, quæ,
sicut tua obscurum nihil habeat.
Hoc idem &c. pag. 2.

11. AUG.

S. Tiburtius pro Christi fide, se
Cruce signans, per prunas ardentes
nudipes ambulavit dicens : prunas
sibi florēs videri. Patientia in do-
loribus reperit flores.

Impetra mihi concordem cum
DEI voluntate patientiā, ut omnia,
quæ patior, mihi flores fiant, quibus
ultimus vitæ meæ lectulus floridus
reddatur : ex quo non ad igneam,
sed floridam æternitatē transeam.
Hoc idem, &c. pag. 2.

12. AUG.

S. Clara pro urbe Assisio coram
V. Sa-

V. Sacramento orans audijt: Ego vos semper custodiam. Tunc precibus suis hostem, alias morbos & dœmones fugavit. Orantes, sed ferventer, petite; & accipietis.

Ora JESUM & MARIAM, ut me semper, sed in morte maximè, custodianter. Tunc precibus tuis animæ meæ morbos, peccata, & dœmonem à me fuga; ut tecum DEUM adorem in beata æternitate. Hoc idem, &c. pag. 2.

13. Aug.

S. Cassianus positâ Infulâ pueros docuit. Quòd Deos nollet colere, ab ijsdem jussu Tyranni stylis acutis confixus & excarnificatus est. Solitum juvenibus Minerval; sed quo Magistro cœlum, sibi referant infernum.

Instilla cordi meo gratitudinem, ut parentibus & præceptoribus, quibus par reddere nunquam potero, saltem gratuim animum exhibeam

hibeam; ut pro confortio dignus, cœlo non excludar ab eo, qui reddit unicuique secundum opera sua. Hoc idem &c. pag. 2.

14. AUG.

S. Eusebius Sacerdos Romanus, Arrianis acriter restitit. Constantius Imp. tantam ejus fidem indignè ferens jussit, eum in carcerem compingi tam arctum, vix ut movere se posset. Expletis septem mensibus tandem à Domino precibus impetravit ut ex carcere ad æternam libertatem evolaret. Hic verè aurea libertas

Ora pro me afflito, & agonizante, ut in omnibus doloribus meis Divinæ me conformem voluntati; idque lectulo meo inscribi possit, quod tumulo tuo; Hic jacet homo DEI. Hoc idem, &c. pag. 2.

15. AUG.

Hodie DEI para Virgo annos
H ætatis

ætatis (juxta probatos authores)
72. post Christi Ascensionem 24.
mortua terris, una cum corpore
assumpta est in cœlum. O si trahat
nos post se!

O gloriosissima cœlorum, aeternarum Imperatrix MARIA, per sacrosanctam & divinissimi amoris plenissimam mortem tuam, & per amorem, quo DEI, Deoque amantissima fuisti, erisque æternum, rogo, sit tibi cordi vita, mors & æternitas mea. Assume misellam hanc animam meam, ad æternitatis nomen trepidam, ut in morte itinere sancto abeat à me ad te. Cupio DEUM & te modis omnibus amare, colore, & honorare. Trahe me poste O Mater! ut currā in odorem unguentorum tuorum, & in pretiosissimo altissimi erga DEUM amoris actu corde humillimo emoriar, & postea tecum æternum vivam. Hoc idem, &c. pag.

16. Aug.

S. Rochus pestiferis amore Christi serviens , cruce plures sanavit : æger à cane dietim panem accepit . Deinum peste mortuus , cœlitùs contra pestem Patronus promissus est . Netime hoc , vel illo morbo mori ; sed malè mori .

Adesto mihi morienti ; ut illo morbo , morte illa , tunc & ibi bene moriar , ubi & quando gloriæ suæ & æternitati meæ quàm optimum fore judicârit DEUS . Hoc idé &c . pag . 2 .

17. Aug.

S. Mammas incarcere ex matre M. natus , cùm primo lacte suxit fortitudinem : hinc in fornace ardente velut inter flores psallebat . Vis coronari , flores patiendo collige .

Per patientiam tuā , rogo te , impetra mihi cum Matre tua patiendi desiderium per vitam meām , for-

titudinem in ultimo agône, quâta
pugnem contra Dœmones; ut vin-
cam, & in æternitate à DEO me-
rear coronari. Hoc idem, &c. p. 2,

18. AUG.

S. Agapitus 15. ann. puer, ner-
vis, inediâ, cardonibus, equuleo,
fumo, aqua bulliente cruciatus,
DEO semper gratias agebat. Vel
à puero discas pati.

O ætatem virtute supergressę
Martyr, tuæ fortitudine cominen-
do ultimam illam infirmitatem &
fragilitatem meam, ne cum cor-
pore tunc langueat anima mea;
sed fidelis DEO inter angores per-
sistat. Hoc idem, &c. pag. 2,

19. AUG.

S. Ludovicus Siciliæ Regis Fi-
lius, Ep. Tolosanus frequenter MA-
RIAM de die salutavit. Rogans,
cur? dixit : Morientem me ipla
juvabit. Et juvit. Times mori?
& MARIAM non salutas?

Ora

Ora pro me vivente & moriente! Pro vivente, ut serviam DEO in mundicie & puritate; pro moriente, ut morientem MARIA juvet. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. AUG.

S Bernardus, vale mundo dicens fratres suos aliosque post se traxit, JESU & MARIÆ semper amantissimus, huic quotidie tam amanter (Salve) dixit: ut meruerit ab ea (Salve) recipere. Et quis non amet MARIAM?

Impetra mihi animæ puritatem, & instilla cordi meo illum in MARIAM, tuam & meam Matrem filialem amorem; ut, quod tu vere dixisti, MARIAM esse spei nostræ fiduciam, & ad Cœluui scalam, in hora mortis meæ merear experiri. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. AUG.

S. Baffa licet sacrificulo nupta, tres tamen filios fide Christi im-

buit, & Cœlo per Martyrium secum genuit. Hanc mulierem tu fortem neges: fortior te est.

S. Mater, cum filijs tuis ora pro me, ut vobiscum J E S U S & M A R I A me adjuvent morientem: ne in ultimo & diffcili agone illo deficiam, sed vobiscum victor ad Cœlum perveniam. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. AUG.

S. Symphorianus adolescens, post diros cruciatus ad mortem datus, audijt matrem monentem: esset memor, horæ unius negotium esse æternitatem: Et obedijt. O brevis hora! O longa æternitas!

In illo tanto unius horæ, & præcipue horæ ultimæ negotio juvame, & è cœlo ad me morientem cum S. Matre tua respice, ut illud negotium negotiorum in hora illa ex animi sententia conficiam. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. AUG.

23. AUG.

S. Philippus Ord. Serv. B. V.
 Pontificatūs honorem fugā elusit.
 A Rudolpho Imp. redux ante MARIÆ aram adiectus dixit: Hæc re-
 quies mea; Næ suavis, & secura!

Serve bone & fidelis MARIÆ,
 ora & impetra pro me, ut requies
 mea, id est, mors mea, sit in servitio
 JESUS & MARIÆ: quando me-
 liùs mori non possum. Hoc idē, &c.
 pag. 2.

24. AUG.

S. Bartholomæus Indorum &
 majoris Armeniæ Ap. centies no-
 ñtu genibus flexis orare solitus. Pro
 Christo vivus excoriatus. Tu de
 di el semel devotè ora.

Mer illas ferventes preces tuas,
 & mortis tujæ dolores, te rogo, im-
 petra mihi studium sanctæ oratio-
 nis, & adesto mihi in doloribus
 mortis meæ; ne me circumdent
 dolores inferni, sed lætus intrem-

domum æternæ felicitatis. Hoc
idem, &c. pag. 2.

25. AUG.

S. Ludovicus Galliæ Rex, matris
Blancæ voto imbibito, mori ma-
luit quam mortaliter peccare. In-
nocentiam corporis afflictione cu-
stodivit, dum vixit. Hac viâ Cœ-
lum securè tenetur.

Ora pro me, S. Rex ut ita morti
me parem, ut semper & ubiq; mori
malim, quam peccato, quam iræ
DEI, quam gehennali æternitati
obnoxius esse. Hoc idem, &c. p. 2.

26. AUG.

S. Alexander ad fidei lumen vo-
catus, maluit mori, quam ad Ido-
lolatriæ tenebras reverti. Ad
mortem damnatus, ultrò ictum
excepit, & vicit. Quam cæcus tu,
qui tenebras lumiñi præfers!

Ora, ut vincam semper: & san-
ctas DEI illuminationes, tenebro-
sissimorum ad peccatum suggestio-
nibus

nibus præferam usque ad mortem :
ut post mortem in admirabile lu-
men videntium D E U M inducar.
Hoc idem, &c. pag. 2.

27. AUG.

S. Margaritha Vidua panem ,
quem unicum habebat , pauperi
(Christus erat) dedit : & cœlo
alium recepit. Ut haberet porrò ,
quod egenis daret , mendicavit
Nemo non potest, si velit , pauperi-
bus benefacere.

O fiat in me hic spiritus tuus , ut
pauperibus libenter elargiar ! Tu
verò nunc è cœlestibus thesauris
emendica à D E O tuo & meo ,
quod pauperi animæ meæ nunc , &
in hora mortis largiaris , quò beatè
migrem. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. AUG.

S. Augustinus moriturus 7. Psal.
Pœnitentiales cum lachrymis le-
git , dicens : neminem , licet nul-
lius sceleris consciūm , sine pœni-

tentia debere mori. Aut pœnitendum, aut ardendum!

O amore Divino inflamatissime Augustine! veris pœnitentiae ac amoris lachrymis, puro DEI calore cor meum imbue: ut sancta verè pœnitentium, & verè amantium morte emoriar. Hoc idem, &c. pag. 2.

29. AUG.

S. Joannes Baptista ob reprehensam liberè Herodis Regis impuritatem, dicendo: Non licet tibi, &c. decollatus. Veritas odium parit.

Ora, ut quidquid mihi non licet, procul sit à me, ut ego sim prope DEUM. In mortis angustijs ostende mihi JESUM dicens: Ecce Agnus DEI, &c. & roga, ut JESUS peccata mea tollat à me & metoliat ad se. Hoc idem, &c. pag. 2.

30. AUG.

S. Bononius adolescens mortis cogitationem altius animo impri-
mens,

mens, posthabitum hominum judicijs, mundo mori doctus est. Non male moritur, qui prius mundo moritur.

Imprime & mihi sanctas bonæ & malæ mortis cogitationes, & humanorum judiciorum despectum, ut verè servus Christi sim, & placeam Domino in regione vivorum. Hoc idem, &c. pag. 2.

31. AUG.

S. Aidanus Ep. stipem, quam pauperi daret, non habens, donatum à Rege Oswino equū cum omni ornatu dedit. Verè misericordi nihil nimis est vel charū, vel pretiosum.

Ne nega & mihi unam à te eleemosynam flagitanti. En mensem hunc hodie finio, sed nescio ubi, & quomodo vitam finiam. Tu juva, ut feliciter & omnes mentes meos per ultimum vitae momentum finiam, & nunquam finiendam sanctorum æternitatē ingrediar, Hoc idem, &c. pag. 2.

SE-



SEPTEMBER.

1. SEPT.

Sanctus Ægidius puer pauperi vesté dedit. Adolescens omnia egenis distribuit: ut perfectè DEO serviret. Vis perfectus esse? ecce modum!

Ora & pro me; ut ita omne imperfectum meum abjiciam; ut nihil sit in me, quod divinæ majestati displiceat, & me morientem ab ejus amplexu morari possit. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. SEPT.

S. Antoninus Sac. à puero Virginitatis amans; & Martyrij sitiens. Ejus caput in undas abjectum Angeli naviculâ exceperunt. Talibus Angeli ministrant.

Ora JESUM & MARIAM, ut boni Angeli miserum hoc meum, & (nisi DEUS protexerit) damnam dum

dum caput , custodiant : & in hor-
rendo mortis periculo ad æternam
securitatem dèducant. Hoc idé, &c.
pag. 2.

3. SEPT:

S. Albertus Conf. olim auro cœ-
lum vendidit , tempestate doctus ,
quàm propè Infernum esset in ipso
portu , ex voto opum sponte inter
pauperes naufragium fecit. Merge
opes , ne te mergant.

Impetra mihi à DEO illam gra-
tiam, ut animum ab opibus perfectè
abstraham : ne in portu æternitatis
mihi sint oneri , quod me in bara-
thrum infernale demergat. Hoc
idem , &c. pag. 2.

4. SEPT.

S. Rosa V. ut contra procaces
manus suum florem tueretur, à pri-
mis annis carnem asperitatibus ar-
mavit : Quo quia placuit DEO , ei
MARIA JESUM ostendit saucium.
Hoc munus est Cœli.

Ora pro me JESUM Crucifixum
 & MARIAM dolorosam, ut cordi
 meo profundè imprimatur crucifi-
 xus JESUS, utque sigillo illo signa-
 tus, quasi ipsius vivam, & illi con-
 formis emoriar. Hoc idem, &c.
 pag. 2.

5. SEPT.

S. Eudoxius lictoribus mensæ
 adhibitis, se ipse Tyranno stitit. In
 tormentis oravit, ut omnes, qui
 suum patrocinium implorarent,
 audiret DEUS. An non hoc est
 DEUM, proximum, & se amare?

Tuum ego nunc patrocinium im-
 ploro, ora pro me apud DEUM, ut
 ex hac vita, quæ militia est, mihi de-
 cedenti mors sit triumphus. Hoc
 idem, &c. pag. 2.

6. SEPT.

S. Eleutherius solâ præsentia sua
 puerum à Dœmone liberavit: sed
 cum id à se factum recenseret, de-
 nudo puer obsidetur; donec vanam

glo-

gloriam ipse eluit. Subtile malum
vana gloria!

Repelle à me & vanæ gloriæ ne-
quam spiritum, & omnes dœmones
in mortis periculo me oppugnatu-
ros compesce: ne in vita, vel iu-
morte in ullam temptationem indi-
car. Hoc idem, &c. pag. 2.

7. SEPT.

S. Stephanus ut aleas, aliósque
dierum festorum ludos abrogaret,
coëgit Dœmonē pro concione ta-
lem apparere, qualis ea suaderet:
comparuit, & nemo non abhor-
ruit, Væ ijs, qui hic non absternentur!

Ora pro me, ut non sim ex ijs,
qui à vitijs, nisi Dœmone exhibito,
non possunt avocari; sed ut sancta
audiens monita, securè tendam ad
beatam æternitatem. Hoc idē, &c.
pag. 2.

8. SEPT.

Hæc dies gaudium annuntiavit
&

& terræ & cœlo : quia hodie ex ste-
rilibus, sed felicissimis parentibus
nata est MARIA , ex qua deinde na-
tus est JESUS . Et esse possit, qui
non amet MARIAM ?

O MARIA parvula beatissima !
ad tuas beatissimas cunas, ad primū
tuum lectulum supplex provolvor
& rogo: ut me in ultimo meo lectu-
lo morientem non deseras. Adesto
mihi tunc, & juva, ut in solidissimo
erga te , tuumque Filium amoris
actu animam meam in tuos ample-
xus exspirem. Hoc idem , &c.
pag. 2.

9. SEPT.

S. Gorgonius Diocletiano à cu-
biculis, spretis honoribus, Martyrij
amore se Christianum confessus,
dirè cruciatus est. Quid profunt
honores , si D E U S te con-
temnat.

Impetra mihi gratiam ; ut spretis
omnibus , quæ mundus offert ,
Chri-

Christum corde, ore, & opere con-
fitens, merear ab eo agnosci, & au-
dire: Intra in gaudium Domini tui.
Hoc idem, &c. pag. 2.

10. SEPT.

S. Nicolaus Tolentinus auditio
illo Joan Nolite diligere mun-
dum, &c. inter D. Aug. Eremitas
se abscondit. Tantò plùs diligeris
à Christo, quantò minùs diliges
mundum.

Subveni mihi, ut bonorum MA-
RIÆ filiorum more, divinis moni-
tis aurem & animum sequacem
præbens, & bonâ vitâ vivam, &
bona morte moriar. Hoc idem &c.
pag. 2.

11. SEPT.

S. Euphrosynus humilibus in
Monasterio culinæ laboribus liben-
ter occupatus, ad excelsum sancti-
tatis apicem pervenit. Respicit hu-
miles DEUS.

Impetra mihi veram illam , & ad feliciter moriendum necessariam humilitatem ; ne superbo mihi resistat D E U S , sed humili mihi morienti det gratiam , & gloriam postea æternū viventi . Hoc idē , &c. pag. 2.

12. SEPT.

S. Guido , puer adhuc , nunquā lætior , quām cùm preces DEO , aut pauperi stipem dedisset . Errata etiam minima crebrā confessione & multis lachrymis eluit . Hæc tu dedecori ducis ?

Ora pro me , ut vestigijs tuis infistam , & si DEUM offendī , sancte doleam ; ut moriturus audiam vocem , quam audisti : Veniat dilectus noster ad coronam Jucunditatis . Hoc idem , &c. pag. 2.

13. SEPT.

S. Mauritius humilitate & animarum Zelo insignis , moriturus adstantes hortatus : perpenderent ani-

animas suas Christi sanguine redemptas esse. Tu toties tuam tantillo vendis?

Impetra mihi à JESU, ut pretiosam illam cogitationem toto corde imbibam, & pretiosam animam meam ita curem in vita, ut moriens illi reddam, qui eam redemit. Hoc idem, &c. pag. 2.

14. SEPT.

S. Christi Crucem Heraclius Imp. non nisi abjecto regio cultu, & nudipes referre potuit illuc, ubi prius steterat. Etiam Crucem suam DEUS superbis non indulget.

Sit mihi, obsecro, humillime JESU, & viventi & morienti pretiosa humilitas, tanquam certissima felicitatis tessera; ut, dum me humilio in terris, per crucem tuam exalter in cœlum. Hoc idem, &c. pag. 2.

15. SEPT.

S. Nicomedes Sac. dum Martyris

ris corpus sepelit, capit; & iussus
Dijs sacrificare, negat se alteri,
quām DEO Cœli sacrificare posse.
Cave DEO subtrahas, quod DEO
debes.

Assiste mihi, ut per totam vitam
semper, quod DEO meo debeo,
tribuam; ut & animam meam mul-
tis ipsi debitam, in morte in manus
ejus tradam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

16. SEPT.

S. Euphemia, multis ad Christū
conversis, inter tormenta & feras
illæsa fuit: donec, cæteris pedes
lambentibus, orans unius feræ
morsu obiit. Nec citius, nec seriùs
morimur, quām DEUS velit.

Ora pro me, ut nunquam nisi
ex DEI mei nutu vivam; sic spero,
fiet, ut etiam non moriar, nisi ex
DEI nutu, hoc est sanctè. Hoc
idem, &c. pag. 2.

17. SEPT.

17. SEPT.

Hoc die, biennio ante mortem,
S. Francisco Seraphinus crucifixus
quinque SS. Christi stigmata im-
pressit. Putas meliora sunt mun-
di oscula, an Christi vulnera?
elige.

Sine, Seraphice Pater, tibi JE-
SU stigmata in corpore portanti
molestus sim; & rogem, ut me ac-
cendas, quo cognoscam, mihi vi-
venti & morienti meliora esse JESU
diligentis vulnera, quam mundi,
vel carnis blandientis oscula. Tu
contra hæc me in vita & morte pro-
tege. Hoc idem, &c. pag. 2.

18. SEPT.

S. Ferreolus, solutis divina vi-
catenis, Rhodanum succollantibus
Angelis tranavit. Retractus capite
plectitur. Fidelibus DEI servis
omnia serviunt.

Ora cum Angelis tuis pro me, ut
vincula, quæ me in terris tenent,
felix

felix exuam, & rapacem mortis
fluvium succolantibus Angelis
transmittam, in æterno portu fu-
turus æternum felix. Hoc idem, &c.
pag. 2.

19. SEPT.

S. Januarius inter flamas cum
Angelis cecinit. Blandientibus ei
feris gladio percussus est. Concre-
tus ejus sanguis in capitis conspectu
positum ebullit. DEO ferventer
servi; & nihil time.

O buliat sanguis tuus apud
DEUM pro me tum vel maximè,
quando meus hic sanguis mortuali
te pôre torpescet in venis; & impe-
tra mihi ferventia animi amantis
suspiria, inter quæ exspirem. Hoc
idem, &c. pag. 2.

20. SEPT.

S. Eustachius Christi Crucifixi
intracervi cornua invitatu, fidem
amplexus est: eamque tam in exi-
lio, conjugis, filiorumque jactu-
ra,

ra, quam inter victorias & triumphos constanter tenuit. Tu quam leviter perdis!

Doce me obedire JESU Christo, ad bona vocanti, ut sicut ad fontem cervus, ita desideret anima mea ad DEUM. Assiste mihi nunc, & in hora mortis, ut in fide nunquam vacillem. Hoc idem, &c.
pag. 2.

21. SEPT.

S. Matthæus, Publicanus ad unam Christi vocem relicitis omnibus, Apostolus factus. Dum fidem Parthis & Æthiopibus attulit, securi percussus. Pudeat, promptius nos Dæmonem audire!

Intercede pro me, ut semper citò & ferventer JESU mihi loquenti obediam. Ora verò, ut ita mihi loquatur JESU, ut simul det mihi gratiani obediendi, & morte obedientium moriendi. Hoc idē, &c.
pag. 2.

22. SEPT.

22. SEPT.

S. Mauritius Thebææ Legionis Princeps, occiso decimo quoquo pro Christo; author fuit, ut omnes hoc est, 6666. pro eo occumberent. Nunquam gloriosius hæc Legio vicit!

O SS. Milites, gloriost Martires! adeste mihi, cùm militiæ meæ fine moriendo imponam. Orate & clamate tunc pro me, ad omnia muto; ut me, licet meritis meis bona morte indignum, tamen propter JESU & MARIÆ merita, vestrâ societate dignetur DEUS. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. SEPT.

S. Thecla à S. Paulo in vinculis conversa, Christo nupsit: non sat tutam se videns inter homines, fugit & vicit. Fugiam & ego perniciofa hominum confortia.

Adesto mihi S. Virginarena mortis, & protege me, ne fera pessima ani-

animam meam devoret; sed duc
me tecum in paradisum. Hoc
idem, &c. pag. 2.

24. SEPT.

S. Gerardus Hungarus Christi &
MARIÆ cultum docuit. Nihil ne-
gavit, quod interposito MARIÆ
nomine rogabatur. Quid talis non
impetret à MARIA?

Ora pro me, ut & ego alios ad
MARIAM traham. O me totum,
vitam & mortem meam ejus amo-
ri consecrem: ut post mortem me
ipsa tanquam suum in cœlum de-
ducat. Hoc idem, &c. pag. 2.

25. SEPT.

S. Puer, quod audierat ab An-
gelis cantari: S. DEUS, S. Fortis,
S. Immortalis, miserere nobis, do-
cuit suos. Et quievit à terræ motu
Constantinopolis. Disce DEUM
placare ab Angelis.

Doce me placare D E U M; &
maximè illâ horâ, quæ ultima erit,

mecum clama : S. DEUS, da sancte
vivere in timore tuo ! S. Fortis , da
fortiter mori in amore tuo ! S. Im-
mortalis da morienti sanctam im-
mortalitatem. Hoc idem, &c. p. 2.

26. SEPT.

S. Justina legem Christi clam do-
cta, parentes eandem docuit. Im-
puras faces, à mago accensas signo
Crucis extinxit, quo & ipsum con-
vertit. Disce vim Crucis.

Impetra mihi, ut multos doceam
viam salutis : & ne ab ea aberrem,
adefto mihi in omni tentatione,
maxime cum migrabit anima ex
hac vita : & S. Crucis signum ten-
tatori objice, ut nocere non possit.
Hoc idem, &c. pag. 2.

27. SEPT.

S. Elzarius Comes à MARIA do-
ctus, in aula sua neminem, nisi pro-
bum passuse est. Passioni Christi tam
devotus, ut in latere ejus se diceret
habitare. An tu Magistrum habes
MARIAM? mores tuos inspice.

Ora MARIAM, ut à Christo,
quod me docet sanctè vivere &
mori, mihi discendi gratiam impe-
tret: & ut vivus in latere JESU ha-
bitem, & moriens in illud spiritum
meum emittam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

28. SEPT.

S. Wenceslaus Dux, ab avia
Ludmilla piè educatus, nudis pe-
dibus hyeme templo obibat, sacer-
doti ministrabat, omnia oratione
inchoabat. Tanti est à pijs educari.

Exora mihi gratiam, educatori-
bus (qui boni mihi non desunt)
obsequendi; ut sic recto tramite
tendam ad portū felicissimæ æter-
nitatis, quam tu inhabitas. Hoc
idem, &c. pag. 2.

29. SEPT.

S. Michaël. Archang. Angelorum
bonorum Dux, malorum domi-
tor; cui DEUS tradidit animas san-
ctorum, ut ducat eas in paradisum.

Hunc, si sapis, stude habere Patronum.

Ne me desere morientem, S. Michaël, & cum Dœmone luctantem;
 & suscipe benignus animam meam migrantem. Ora pro me, ut te Duce,
 & Angelo meo ita vivam & moriar, ut hæreditatem capiam salutis.
 Hoc idem, &c. pag. 2.

30. SEPT.

S. Hieronymus flens dicebat:
 sive edam, sive bibam, sive aliud
 agam semper videtur mihi sonare:
 Surgite mortui, venite ad judicium.
 Sancti timent judicari: tu rides?

Ora pro me, ut & ego, dum vivo,
 à Judicijs Divinistimeam, & ita
 me parem ad securum transitum
 ex vita: ut demum inter sanctas ad
 Crucifixum JESUM aspirationes
 expirem. Hoc idem, &c. pag. 2.



OCTO.



OCTOBER.

1. OCT.

Sanctus Remigius Rhemorum Archiep. tam benignus erat in pauperes, ut dominante fame, ingentem frumenti numerum coacervari jussiferit, unde alerentur pauperes. Cùm ejus inimici huic frumento sceleratas faces admovissent, ad ignem accessit: Quin & vos, inquiens, acceditis: nunquam non prodest ignis. Utinam & tibi!

S. Remigi, age, ut & mihi prosit ignis inferni. Crebriùs huc descendam vivens, ne moriens æternūm cremer. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. OCT.

S. Leodegarius Cruce è templo armatus hostibus suis obviam ivit: nec ullis tormentis coërceri potuit, quin de D E O loqueretur. Non confunditur, qui in Cruce spem ponit.

Ora pro me, ut non nisi in Cruce sperem. Hæc mea sit armatura contra hostes, in ultimo maximè conflictu, & in adversis solatium; ut securè transeam ad æternos triumphos. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. Oct.

S. Joannes Chuzubita, humilitate eximus, in adversis non aliud solitus dicere, quām; si DEUS hæc pati potest, quidni ego velim? Et quis tu, qui nolis?

Doce me agnoscere meum nihilum, ut verè sim parvus in oculis meis, & in omnibus me DEI despositioni accommodem; ne me tanquam sibi contrarium à cœli porta repellat. Hoc idem, &c. pag. 2.

4. Oct.

S. Franciscus simul pauperrimus & ditissimus. Vis nōsse, quomodo? Relictis omnibus possedit DEUM, in DEO omnia. Non potes omnia dimittere? saltem cor non affige.

Agno-

Agnoscam hanc veritatem, quam docuisti: DEUS meus & omnia; ut maturè ab omnibus, quæ DEUS non sunt, cor abstraham, & nihil sit, quod in morte me impedit; quò minus tendam ad DEUM, qui est omnibus omnia. Hoc idem, &c. pag. 2.

5. Oct.

S. Meinulphus audito: Vulpes foveas habent, Filius hominis non habet, ubi caput ponat: Illico Christo locum in corde dat, & templum struit. Quoties eadem audiis, & animum claudis?

Impetra mihi sacris eloquijis tam promptas aures & cereum cor; ut me, meaque DEO planè transcridam: non enim mein morte recipiet, nisi eum in vita recepero in cor meum. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. Oct.

S. Bruno, audito, probatæ aliæ vitæ viro post mortem, se justo DEI

judicio accusatum, judicatum, condemnatum afferente, elongavit fugiens & mansit in solitudine. Quis quis sapis, time judicia DEI.

Imprime mihi magna illa æternitatis lumina, & tepidam voluntatem meam accende ; ut solide perpensis DEI Judicijs, me ita paré, ut misericordissimo DEI judicio adjudicer cœlo. Hoc idem, &c. p. 2.

7. Oct.

Hoc die Anno 1571. ad Insulas Echinadas, ope DEIparæ Turcas Duce Joanne Austrio, Pius V. cum Hisp. & Venetis vicit. Cæsa Barbarorum 30000. Christiani liberati 3486. naves captæ 190. flammis & aquis haustæ 80. Tormenta hosti crepta majora 116. minora 256. Hæc scilicet Virgo Lunam habet sub pedibus.

Inviictissima Virgo ! nos etiam hodie juva, & crescentem semper Lunam pedibus tuis contere. Christianis

stianis unum cor & animam unam impetra, ut cum illis faciat potentiam suam DEUS. Mihi verò nunc, & in ultimo mortis conflictu sis cum JESU tuo certanti tessera: ut vincam, & tu mihi sis MARIA de Victoria in terris, & MARIA de triumpho in Cœlis. Hoc idem, &c.
pag. 2.

8. OCT.

S. Birgitta Sueca, ex quo JESUM saucium vidit, nunquam sine lachrymis de ejus Passione meminit, & totâ vitâ pauperibus infirmis servivit. O vel semel sic ego Christi Passionem recolam!

Ora pro me, ut sic Crucifixum & MARIAM amem, ut eorum amore pauperibus & infirmis libenter me impendam. Inde spero, JESUM in morte mihi ad futurum, qui, quod uni ex his minimis fit, sibi factum æstimat. Hoc idem, &c.
pag. 2.

9. OCT.

9. Oct.

S. Dionysius à S. Paulo conver-
sus, in Gallia multa pro Christo fe-
cit, & tulit. CX. annorum senex
capite plexus, quod ipse 200 pa-
sus ad tumulum tulit. Vis scire
quantum Christum ames? quan-
tum pro eo pateris.

Impetra mihi id, quod optimum
est: ut, dum vivo, caput meum in
manibus portem. DEO & superio-
ribus illud subjiciendo, ut demum
in morte illud in sinum JESU mei
deponam. Hoc idem, &c. pag. 2.

10. Oct.

S. FRANCISCUS BORGIAS Gandiæ
Dux, viso Isabellæ Imp. nuper for-
mosissimæ putrescente cadavere,
in JESU Societatem se abdidit.
Corpus ut servum habuit: singulis
horis ad mortem se paravit. Viso
in MARIÆ sinu JESULO dece-
bat: Mihi Virgo hoc onus gestat:
mihi

mihi lac Matris & Filij sanguis bullit. O omnes hoc agnoscant.

Impetra mihi S. FRANCISCE, ut bulliat & pro me nunc, & in hora mortis peroret lac Matris, & Filij sanguis, ut lacte candida & sanguine purpurea mea anima, ad fontes ipsos, JESUM & MARIAM abeat. Hoc, &c. pag. 2.

II. Oct.

S. Bruno Archiep. Col. visis, sub divinis, Henrici Fr. & Cunoris Affinis sui fabulis & levitate, pàlèm arguit, dicens: familiaritatem hanc fore semen magnæ inimicitia: quod & factum. An non & hodie id pluribus dici posset:

Ora pro me, ut nunquam ego tam perniciosa sub divinis cum homine familiaritaté contraham, quæ mihi possit facere æternam cum DEO inimicitiam: sed potius sim cum DEO in templis &

ubique familiaris nunc & in æternum. Hoc idem, &c. pag. 2.

12. Oct.

S. Wilfridus patientiâ insignis, quadriennium vitæ, MARIÆ ope impetratum, præparationi ad mortem impendit. Tu, si sapias, totam vitam huic impende.

Intercede pro me cum MARIA apud JESUM, ut det mihi tempus & voluntatem præparandi me ad S. mortem; ut ita mihi vitam pro-roget, vel abrumpat, prout scit mihi prodesse ad æternitatem. Hoc idem, &c. pag. 2.

13. Oct.

S. Venantius Abb. audiens Angelos canentes: Sanctus, se suosque ad DEUM laudandum accendit, dicens: Væ nobis inertibus! Putas hoc vae nos evasuros? O accendat & me ad laudes divinas
cœle-

cœlestis Curia! Me verò, ô DEI amice; juva nunc & in agône mortis, ut non iners, sed fervens vivâ; ne post mortem audiam illud tepidorum: Væ! Hoc idem, &c.
pag. 2.

14. Oct.

S. Burchardus primus Herbipoli Episcopus, è tenebris in lucem Franconiam deduxit, eique Christi & MARIÆ amorem instilavit. Omnibus charus ob Zelum & modestiam. O non sim ego degener filius!

Excita in me, si te pescat, in JESUM & MARIAM amorem; ut in agône & à te filius tuus hoc signo agnoscar, & à JESU & MARIA vicissim merear amari, & æterna beatitudine, quâ jam frueris, donari. Hoc idem, &c. pag. 2.

15. Oct.

S. Teresia V. Christo à B. V. de sponsata, amore ejus vovit semper

I 7 agere,

a re, quod perfectum nōsset, Viso
semel JESU spinis coronato , sem-
per dicebat : Domine aut pati , aut
mori. Quid tu eliges?

Impetra mihi, sic DEUM amare,
ut eligam nunc , aut pati , aut mo-
ri. Ora pro me, ut eligam semper
optima? & adesto cum JESU &
MARIA dilectis tuis agōni meo,
ut ab illis tunc assumar inter ele-
ctos, futurus tecum in æternum.
Hod idem , &c. pag. 2.

16. Oct.

S. Gallus , ne carnem hostem
sentiret , triduanis jejunijs , cilicijs ,
& catenis domuit. Hinc quæ vo-
luit, impetravit à DEO. Disce ,
qui quereris à DEO nihil te impe-
trare.

Impetra mihi , ut domem carnē
meam , & elevem ad cœlum ; ne
illa indomita è cœlo detrahatur blan-
dientem & conniventem nimium
animam meam in Infernum. Hoc
idem , &c. pag. 2.

17. Oct.

17. Oct.

S. Andreas Sanctorum Imagines
per multa tormenta propugnavit;
in quibus non aliud dicebat, quam:
Domine serva, Domine dirige. Si
pro DEO pugnas, non metue.

Dic pro me vivente & moriente:
Domine serva, Domine dirige! &
doce me Sanctorum imagines co-
lere, ut adsint mihi in vita & mor-
te, & me servent & dirigant in viâ
pacis æternæ. Hoc idem, &c.
pag. 2.

18. Oct.

S. Lucas Evang. primus pictam
sua manu MARIÆ effigiem poste-
ritati reliquit, quæ etiam hodie mi-
raculis Romæ claret. O si & nos
MARIÆ effigiem in moribus expri-
mamus!

Impetra mihi à JESU & MARIA
felicem coronidem omnium gra-
tiarum, hoc est, felicem mortem;
ut MARIAM non jam à te pictam,
sed

sed de facie ad faciem videam in templo sancto gloriæ in æternum.
Hoc idem, &c. pag. 2.

19. Oct.

S. Ethbinus adul. ad illud Christi: Qui non renuntiat omnibus, non potest meus esse discipulus. omnes opes egenis, séque DEO dedit. Onos indociles! quam pauci hanc Philosophiam capimus!

Impetra mihi hanc docilitatem, & in miseros charitatem; ut quando cum morte luctabor, à Christo agnoscatur discipulus, & ab ipso excipiar in cœlo. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. Oct.

S. Fides V. pro Christo super carentem craticulam lento igne assata, constantiâ suâ Caprasium ad Martyrium pellexit. Pudeat te, à Virgine Patientiâ vinci!

Offer DEO pro ultimo lectulo
meo aliquid de meritis igneæ tuæ
cra-

craticulæ : & roga, ut mihi morienti rorem æternæ suæ benedictionis infundat. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. OCT.

S. Ursula ad sponsum suum itura, adverso vento Coloniam ejiciatur: ubi ab Hunnis cum 11000. Virg. pro fide & Virginitate sagittis confossa, agonizantium est Patrona. Invoca, & experiere.

S. Ursula cum sodalibus, advola ad agōnem meum , nec permitte me perire. Vallate me morientē, & facta quasi contra hostes meos manu, me in illa, in qua eftis, æternitate collocate. Hoc idem , &c. pag. 2.

22. OCT.

S. Joannes nomine Bonus, sed ex divitijs malus. Ex matris precibus & morbo sapuit, & opes abjevit, ut D E U M teneret , & effet bonus. Tales bonos Christus amat.

Ora pro me Christum , qui te ad vulnerum suorum oscula invitavit, ut me doceat amare & odisse, quod ille amat & odit ; & ut morienti mihi è suis vulneribus propinet vitam, in qua nemo est nisi bonus. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. Oct.

S. Macarius post vitam diu austèrè aëtam , incautus fœminam tugurio recipit, & in impuram cogitationem dejicitur. Culpam multis lachrymis & jejunijs eluit. Vis non labi ? semper cave.

Impetra mihi , ut nunquam non cautè ambulem : aut si incautè prolapsus sum , illico resurgam ; ut cum Angelis super pœnitente gaudentibus æternū gaudeam . Hoc idem, &c. pag. 2.

24. Oct.

B. Joannes Angelus , MARIÆ servus , carnem vitæ austерitate totam prodegit ; ut in morte nil nisi cutem

cutem & ossa relinquenter. Hunc prodigum imiteris, licet.

Ora pro me, ut MARIÆ serviens, & carnem spiritui subigam, & bene vivam; quo bene moriar, & tecum inter MARLÆ servos merearin cœlis numerari. Hoc idem, &c. pag. 2.

25. Oct.

S. Chrysanthus paucis ex Evangelio lectis, Christo manus dedit: & contra patris blanditias, mulierū insidias, Tyranni sævitiam stetit, & vicit. Si stare nōsti pro DEO, stabit DEUS pro te.

Aperi mihi castissimis tuis precebus cor ad legenda & agenda, quæ me legere & agere vult DEI S; ut morientem me lux sancta adducat in montem sanctum DEI. Hoc idem, &c. pag. 2.

26. Oct.

S. Fulco è pauperrimo factus Episcopus. Hujus memor, quotidie

tidie 5. studiosos pauperes cum suo
Magistro mensæ adhibuit. Hono-
res mutant mores: quam pulchrū,
si in meliores!

Revoca mihi frequenter in me-
moriā, quis, qualisve fuerim, ne
elatus ruam, unde non tam facile
resurgam: & ut per pauperum ma-
nus mihi securam semitam sternam
ad vitam æternam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

27. Oct.

S. Elesbaan Rex, ter invocato
S. Gabriele hostem vicit. Victor
positis Regijs vestibus, privatâ &
asperâ vitâ ad mortem se paravit.
Quidni cœlum applaudat?

Invoca pro me Gabrielem, ut
mihi morienti adsit; qui (frigide
licet) toties ejus ad MARIAM ora-
tionem perorans petij, ut illa me
nunc, & in hora mortis meæ tuea-
tur. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. Oct.

28. OGT.

SS. Simon & Judas, Ægypto ille, hic Mesopotamiae, dein simul Perfidii Christum prædicantes, & morte Christum glorificârunt. Si sic Christus glorificatur: certè tu non honoras.

Ora pro me, ut in vita omnia dirigam ad DEI, & majorem quidem gloriam, & denique morte in DEI gratia obitâ, DEUM glorificé; ut ab ipso doner æternâ gloriâ. Hoc idem, &c. pag. 2.

29. Oct.

S. Ermelindis V. 12. anno. sensit corrvales DEUM & Mundum: elegit pulcherrimum, Christum: & ne perderet, mundo exivit. Putas sapit, qui mundum eligit?

Impetra mihi, ut agnoscam quanto Christus sit mundo melior; ne præ Christo mundum, qui totus in maligno positus est, eligam, quo cū impossibile est salvari. Hoc idem, &c. pag. 2.

30. Oct.

30. OCT.

S. Zenobius aditam hæreditatem brevi inter pauperes dilapidavit: pro qua reddidit ei DEUS, ut morbos solo tactu curaret. Date & dabitur vobis.

Ora pro me, ut hanc artem feli-citer discam, quâ DEUM mihi fa-ciam tam liberalem amicum: ut, ubi ab omnibus deserar, reddat mihi hæreditatem æternam. Hoc idem, &c. pag. 2.

31. OCT.

S. Wolfgangus Ep. per vitam suam ingenium suum gratis Juven-tuti ad DEI gloriam excolendæ im-pendit. In lubrico stat Juventus: obsequium præstas DEO, si dirigis.

Adjuva me, ut Juventutem & meam & aliorum eò dirigam, ubi omnia momenta vitæ sanctis DEI obsequijs impendantur; ut in hora mortis sanctam æternitatem felici-ter inchoëmus. Hoc idem, &c. pag. 2.

NO-



NOVEMBER.

1. Nov.

Hodie in Ecclesia festus dies agitur in honorem omnium SS. O si tu sis aliquando in numero eorum!

O vos omnes SS. qui ulli morientium opem unquam tulistis, ferte & mihi! & tu in primis Augustissima omnium SS. Regina, & vos omnes, qui singulari cordis affectu MARIAM h̄ic amâstis, quique singulare illius auxilium in agône experti estis! O amem & ego illam ita, ut etiam experiar! Offerte pro me vestra merita, & impetrare, ut una vobiscum æternis amoribus amem JESUM & MARIAM. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. Nov.

Hodie per Ecclesiam fit Commemoratio Animarum in Purgatorio, ut

ut precibus fidelium juventur. Multæ sunt, quæ ab omnibus sunt desertissimæ: & multæ, quas B. V. vellet juvari: multæ, quæ diu jam opem tuam exspectârunt. Quod tibi voles fieri aliquando, fac illis.

O SS. Custodes Angeli Animorum, quæ in Purgatorio igne expiantur, excitate me & suggerite mihi, ut indefesso studio animas illas juvem, quæ amicæ DEI sunt, sed adhuc à facie DEI exules, quæque seipſas juvare non possunt: ut & ipsæ, & vosearum Custodes Angeli, & SS. Patroni Cælites, & potissimum MARIA earum omnium Advocata maxima, mihi & agonizanti, & illic maculas eluenti adsint; ne prius cessent pro me DEUM orare, quam sim cum illis in æternitate sancta. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. Nov.

S. Wenefrida V. Christo nupta,

ta, in templo, quò fugerat, à lenone pro Virginitate & fide obtruncata est. Quàm malè tuta Virginitas apud alterum sexum!

Impetra mihi, ut fortiter pro animæ salute pugnem, dum vivo, & dum moriar: & coronam accipiam æternitatis legitimè certantibus paratam. Hoc idem, &c.
pag. 2.

4. Nov.

S. Carolus Boromæus E. R. Card. redditus Ecclesiasticos non nisi in pauperum usum convertit. In peste populo suo ipse Sacramenta ministravit Mediolani. Verè bonus, Pastor!

S. Carole, obsecro, ut sis etiam pastor animæ meæ: ideo rogo, quæ à DEO & MARIA per Angelum tuum pro felici morte petijisti, mihi de morte sollicito benignus impetra, mēque inter illos repone, quos cœlo lucratus es. Hoc idem, &c.
pag. 2.

K

5. Nov.

5. Nov.

S. Emericus S. Stephani Reg. Hungar. Fili. audiens , cœlo nil gratius esse Virginitate, suam DEO dicavit , & sponsæ persuasit. O quām erunt cœlo ingrati , qui eam prodigunt!

Ora pro me unà cum B. V. à te in Matrem electâ , ut semper id agâ , quod Superis maximè placere cognovero : ut citò post mortem unà tecum DEUM laudare incipiam . Hoc idem , &c. pag. 2.

6. Nov.

S. Leonardus tam charus erat DEO , ut precibus suis reos è carcerebus , solutis sponte vinculis , educeret. Disce orare , & potes quid vis apud DEUM.

Ecce mortis (utinam non æternæ !) reahæc anima mea , carcere hoc per mortē egredi horret , quia æternos timet. Elice ex oculis meis lachrymas , quibus vincula peccatorum

torum rumpam, ut sim æternūm
liber. Hoc idem, &c. pag. 2.

7. Nov.

S. Engelbertus Archiep. Col. de
Friderici Cognati insidijs monitus,
noluit eum prodere: & moriens
pro ipso, à quo pro Ecclesia 47. vul-
neribus sauciatus fuerat, à D E O
sanctam mortem exoravit. Hoce est,
Christi esse discipulum.

Doce me, obsecro, hanc chari-
tatem, ut agnoscar verus Christi
discipulus in vita & morte. Hoc
idem, &c. pag. 2.

8. Nov.

S. Godefridus Ep. quotidie 13.
pauperes, abluens priùs eorum pe-
des, cibavit: hyeme suis nudos ve-
stibus texit. Reis subditis supplex
factus, ut resipiscant. Talis in te erit
DEUS, qualis tu in alios.

Ora pro me DEUM, ad parcen-
dum quām ad puniendum prōnio-
rem; ut me, ceu filium benignè ar-

guat viventem, ne æterno furore corripiat morientem. Hoc idē, &c. pag. 2.

9. Nov.

S. Theodorus miles, accenso Matris Deorum fano, dirè fame & ungulis cruciatus, psallens in igne exspirat, Lætè moritur, jqui bene vixit.

O quām felix & ego hinc migrabo, si tecum & cum Angelis migrerem! Impetra mihi, ut bene vivam, ut mortem habeam lætam, quā DEO æternūm benedicam. Hoc idem, &c. pag. 2.

10. Nov.

S. Theoctista V. è captivitate Arabica, ut pudorem servaret, fugit, & in sylvis 35. annos non nisi ex herbis vixit. Non expugnatur pudor, nisi proditor sit animus.

Intercede pro hac anima mea miseranda, quæ tam languidè se parat ad æternitatem: impetra mihi

hi è tuis ardoribus unam constan-
tem scintillam, quæ mihi semper in
corde vivat usque ad mortem. Hoc
idem, &c. pag. 2.

11. Nov.

S. Martinus, adhuc Neophytus
in paupere Christum vestivit. Mo-
riturus Dœmonem videns dicebat:
Nihil in me funeste reperies. O me
felicem, si hoc dicere possim!

Interpone pro me preces tuas,
ut, dum vivo, funestum illum vin-
cere assuescam: ne quid in morte
bestia illa cruenta reperiat. Hoc
idem, &c. pag. 2.

12. Nov.

S. Didacus, idiota MARIÆ festa
jejunij colebat, & Crucis amantis-
simus, exspirans arrepta Cruce di-
xit: Dulce lignum, &c. Ecce sur-
gunt indocti, & doctis Cœlum eri-
piunt.

Interveni pro me, ut MARIAM
& Crucem sic semper amem, ut
K 3 dul-

dulce lignum, dulces clavi, & Cru-
cis dulcissimum pondus JESUS,
dulcem mihi morienti det æterni-
tatem. Hoc idem, &c. pag. 2.

13. Nov.

B. STANISLAUS KOSTKA DEIpará
scamavit, ut cum Socijs certaret,
qui magis eam honoraret. Hinc
ægro illa JESULUM in sinum dedit,
& morbo fugato, Societatem ejus
jussit ingredi. D. Barbaræ devo-
tus obtinuit, ut ab Angelis in mor-
bo Ven. S. reficeretur. Societa-
tem JESU, ut expeditius adiret, fu-
git Patrem morantem: ut impetra-
ret, Dilingæ in Convictu mediasti-
num egit. Adhuc Novitus meri-
torum plenus, inter SS. Nomina
abijt in Cœlum. Nunquam frustra
coluntur Cœlites.

Adesto mihi cum JESU & MA-
RIA, Barbarâ morientium Patro-
nâ, & SS. Angelis, & his tuis auxi-
lijs ultimum mei morientis lectulū
bea;

bea; ut in tuo & illorum sinu spiritum meum felix deponam. Hoc idem, &c. pag. 2.

14. Nov.

B. Albertus S. Thomæ Magister, audito MARIÆ Magistræ suæ nomine dulcissimè flevit. Ultimo vi-tæ triennio omniscientiæ repente oblitus, quotidie tumulum suum est contemplatus. Putas, talis imparatus morietur?

Hoc est, quod desidero B. Alberte: Magistram sanctè vivendi & moriendi hahere MARIAM; adjuva me, ut nunc sanctè amem, & posteà sanctè moriar. Hocidé, &c. pag. 2.

15. Nov.

S. Leopoldus Austriæ Marchio, in egenos, & ad fundanda DEO templo liberalis, sibi thesauros condidit in Cœlo. In æternitate ne egeas, jam provide.

Impetra mihi, ut semper sim li-

beralis in pauperes, & ea quæ DEI sunt: ut ita vicissim DEUM in morte, ac æternitate mea erga me experiar liberalem. Hoc idem, &c.

16. Nov.

S. Edmundus malos socios fugiens, JESUM habuit socium, à quo doctus contra repentinam mortem, vesperi cruce frontem signare & dicere: JESUS NAZARENUS Rex JUDÆORUM. Fuge, qui JESUM fugant, & habebis socium JESUM.

Ora pro me JESUM tuum & MARIAM, ne me improvisa morte mori permittant: sed faciant, ut sim semper paratus mori. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. Nov.

S. Gregorius, Thaumaturgus dictus ob miracula. Maximum ipse fuit, quod MARIAM & S. Joannem Ev. Magistros in fidei mysterijs habuit. Nec mirum: Virgo fuit.

Ora

Ora pro me Magistros tuos MARIAM & Joannem, ut me docilem reddant scientiae æternitatis. Ora DEUM, ut in vita & morte mirabili sua ope me protegat, ut salver. Hoc idem, &c. pag. 2.

18. Nov.

S. Odo plus vanis Poëtis, quam pijs libellis temporis inpendens, expertus est cœlum sibi iratum. Monitus destitit. Putas, cœlum non irascetur, si volvas lasciva?

Adesto mihi & oranti, & studenti, & quidvis aliud agenti: præcipue morienti; ut avertas à me, quidquid veneno suo me tradere potest æternæ morti. Hocidē, &c. pag. 2.

19. Nov.

S. Elisabetha Regina, vīsa Crucifixi effigie, omnem ornatum abjecit, & exstructo Xenodochio 900. pauperibus serviebat, Mor-

tuo conjuge, arce pulsa, fortiter tulit. Tu non possis, quod fœmina?

Accende me illo, quo JESUM in Cruce amâsti, igne cœlesti. Feliciter moriar, si ita succensus extinguar; neque ardebo igne infelicitatis æternitatis. Hoc idem, &c. pag. 2.

20. Nov.

S. Dasius Juvenis gratiosissimus, maluit Christo pro fide victima fieri, quam Saturno more patrio, delicijs saginatus, immolari. Os sic vel parentes, vel Filij sapiant!

Ora pro me, ne suis me delicijs mundus fami & siti æternæ saginet: sed ut potius fame & siti ad suas epulas paret DEUS, & hujus solius vivens & moriens sim victima. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. Nov.

SS. JOACHIM & ANNA MARIAM trimulam, longè charissimam obsequio DEI in templo dicarunt. Ipsa prom-

promptè secuta, & sponte sola tem-
pli gradus ascendit. Habent paren-
tes & liberi, quo erubescant.

O DEO, Angelis, & hominibus
amabilis parvula MARIA! ego me
tibi, & per te DEO præsento in ser-
vum. Ad te jam pertinet, ô Do-
mina, curare, ut ita vivam, ita mo-
riar, sicut decet tuum servum, &
à te DEO offerendum. Adesto
mihi ô dulcissima parvula, hodie &
totâ vitâ meâ! Hoc idé, &c. pag. 2.

22. Nov.

S. Cæcilia, licet Virginitatis
suæ singularem haberet Angelum
Custodem, tamen cilicio, jejunio,
oratione, & lectione sacra eam cu-
stodivit. Nimirum inter hæc tutis-
sima Virginitas.

Impetra mihi, ô S. Virgo, mor-
tificationis studium: & pete pro
me à DEO, pro sancta ad mortem
præparatione, quod pro te petiſſti,
ut fiat cor meum immaculatum.
Hoc idem, &c. pag. 2. S.

23. Nov.

S. Clemens Pont. Chersonæ in exilio 2000. Christianorum, in latomijis aquæ dulcis fontem orans impetravit. Qui rectè novit orare, omnia habet.

Roga Agnum illum fontis Judicē, ut me fonte vitæ nunc, & morientem ita recreet; ut poste à torrente voluptatis perpetuæ poter. Hoc idem, &c. pag. 2.

24. Nov.

S. Chrysogonus nullis honoribus, aut divitijs induci potuit, ut Deos coleret, qui (ut ajebat) essent Dœmonum simulacra. Etiam hodie sub his escis Diabolus sua retia ponit: cave.

Impetra mihi tam generosos spiritus: ut non quæram alium honorem & divitias, quam DEO servire; cui servire in terris, est regnare in Cœlis. Hoc idem, &c. pag. 2.

25. Nov.

25. Nov.

S. Catharina Maximinum sacrificantem Dijs arguit, 50. Philosophos Christo lucrata: spretis Imp. amoribus, per Martyrium eos sequuta est. Hoc Christianorum est.

Converte me, ut totus ab ijs, quæ DEUS non amat, aversus, totus convertar ad JESUM: & ad memorientem sit ejus conversio, quâ mihi æternùm faciem suam ostendat. Hoc idem &c. pag. 2.

26. Nov.

B. Sylvester, viso sodalis sui olim pulcherrimi cadavere, exclamavit mundo valedicens: Hoc speculum meum est: sum, quod hic fuit; brevi ero, quod hic est. Hoc speculum & tu inspice.

O B. Juvenis! objice mihi quotidie hoc speculum, ut agnito, quid sim, & quid futurus sim, discam mundum spernere, & totum me ad DEUM convertere. Hoc idem &c. pag. 2.

K 7

27. Nov.

27. Nov.

S. Jacobus in Isdegerdi gratiam Christum ejurat: sed à matre & conjuge objurgatus, resipuit, & membratim dissectus, sanguine factum obliteravit. Errare humum est, perseverare Diabolicum.

Impetra mihi, toties DEO infidelis, per merita tua gratiam, ut in Iapsu non perseverem, sed per pœnitentiam exsurgam, & usque ad vitæ finem in bono perseverem. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. Nov.

S. Stephanus M. acerrime pro Sanctorum imaginibus pugnans, exilium primò, dein & mortem tulit. O sic DEI in nobis imaginem tueamur!

Ora pro me, ut DEI in me Imaginem contra Dœmonem, Mundum & Carnem sancte defendam: ut in illa die DEUS imaginem suam agnoscat, & in sua recipiat. Hoc idem, &c. pag. 2.

29.

29. Nov.

S. Radbodus Sanctorum vitis ve-
luti speculo usus, ut suam compone-
ret. Morituro adfuit B. V. quod
eius in precibus semper fuisset me-
mor. Numquid & tu sic eam po-
tes facere Patronam?

Adjuva me, ut semper sim MA-
RIÆ memor, quod & illa sit memor
mei: & ut componam vitam me-
am ad speculum vitae & mortis JE-
SU, & SS. ut mors mea sit speculum
mortis sanctæ.. Hoc idem, &c.
pag. 2..

30. Nov.

S. Andreas Ap. in Achaja pro fi-
de cruci affigendus dixit: O bona
Crux, diu desiderata! Accipe me
ab hominibus, & redde me Magi-
stro meo. Non est brevior ad
DEUM via Cruce.

O Crucifice Crucifixi discipule!
impetra mihi, ut non fugiam Cru-
cem, sed pretiosè æstimem. Et ora

ut

ut Christi Crux ultimam meam
Crucem reddat efficacem ; ut per
eam veniam ad gloriam. Hoc
idem, &c. pag. 2.



DECEMBER.

1. DEC.

Sanctus Philaretus Rusticus, ob
liberalitatem in pauperes, vidit
neptem suam Constantini Imp.
Conjugem, se consulem. Testa-
mento orbi reliquit, quod ipse fe-
cit : Estote misericordes.

Aduva me, ut hoc documentū
altè animo imbibam, & si corporali
non possum, spirituali eleemosyna
pauperibus succurram ; ut etiam
in morte DEI misericordiam expe-
riar. Hoc idem, &c. pag. 2.

2. DEC.

S. Bibiana propter Christum bo-
nis omnibus spoliata, dein ad co-
lumnam plumbatis cæsa, obiens

tri-

triumphavit. Hac morte an tu gloriostorem nōsti?

Precibus tuis me conforta, ut nulla tormenta à fide & Christo me absterreant; sed quidvis libenter patiar, ut vivens & moriens JESU meo fidelis inveniar. Hoc idem, &c. pag. 2.

3. DEC.

S. FRANCISCUS XAVERIUS
Jndiarum Ap. insatiabilis animarum Zelator, laboribus, exemplis, precibus & miraculis multis hominum millibus felicem mortem & æternitatem procuravit. In laboribus & ærumnis dicebat: Amplius, amplius Domine; in solatijs: satis est, Domine, satis est. Quàm multi hodie sentiunt contrarium!

O Genuine S. IGNATIJ fili! lucrare, obsecro, etiam hanc animam meam. Adesto mihi ægro & morienti, qui Mastrillo tuo & plurimis alijs morientibus adfuisti. Commen-

menda me Crucifixo tuo JESU & MARIÆ, ad quos suspirans exspirasti; & impetra mihi sanctum desiderium, multa pro Christo patiendi, donec me ducens ad cœlum JESUS dicat: satis est. Hoc idem, &c. pag. 2.

4. DEC.

S. Barbara V. ab ipso Patre suo pro Christo decollata. A Christo obtinuit, ut sine Viatico nemo, qui ipsam colet, emoriatur. Tantillo tantam gratiam emes?

Numera me inter clientes tibi devotos, ut tuis precibus adjutus, non discedam ex hac vita, nisi Corpore & Sanguine Christi munitus; in cuius cibi fortitudine progressiar ad montem DEI. Hoc idem, &c. pag. 2.

5. DEC.

S. Sabbas Abb. signo Crucis saevientes flamas extinxit. Contra Dœmonem, ab ipso Christo armatus

tus, pugnavit, & vicit. Pugna: &
DEUS non deerit.

Impetra mihi, obsecro, à JESU,
ut nunc & in ultimo meo agône
me armet ; ut in JESU Dœmo-
nem vincam, & victor æternum
vivam. Hoc idem, &c. pag. 2.

6. DEC.

S. Nicolaus Ep. quam Infans je-
junij consuetudinem cœpit, ut fe-
riâ 4. & 6. semel tantum, idque ve-
speri lac sugeret, totâ vitâ suâ te-
nuit. Cœpisse à teneris & conti-
nuâsse laudabile est.

Doce me constanter tenere san-
cta proposita, ut ita ad quævis mor-
tis pericula paratus, morte sancta ad
patriam securè perveniam. Hoc
idem, &c. pag. 2.

7. DEC.

S. Ambrosius Augustino conver-
so, Te DEUM laudamus fecit & cum
eo cecinit. Moriturus flentibus
alijs dixit: Mori non timeo ; bo-
num

num Dominum habemus. Per nos stat, ut bonum habeamus.

Ora pro me, ut DEO ferventer in vita serviendo, illum mihi bonum Dominum faciam; ut in fine vitæ nec me vixisse pudeat, nec timeam mori. Hoc idem, &c. pag. 2.

8. DEC.

B. Virgo ab æterno in Matrem Filij DEI electa, speculum est sinè macula. Tuas tamen tibi ostendit: inspice.

OMARIA sinè macula concepta! fiat cor meum immaculatum, ut plūs amet & honoret te apud omnes, quām ulla creatura te possit inhonorare! Tu vitam tuam sinè macula inchoāsti; ora pro me apud Filium tuum JESUM; ut ego meam sinè macula finiam. Hoc idem, &c. pag. 2.

9. DEC.

S. Syrus, Zelosius fidei prædicator pro veritatis testimonio mortuum

tuum excitavit, & cum Diabolo
inimicitias gessit. Cave eum &
vicinum habere, & amicum.

Ora pro me, ut nunquam vel
leviter consentiam Diabolo, & ope-
ribus ejus ; sed sicut in Baptismo
ab renunciavi, ita ejus sim inimicus
usque ad mortem. Hoc idem, &c.
pag. 2.

10. DEC.

S. Eulalia duodennis, Angelis
comitata, Judicem impietatis ar-
guit ; ei blandienti in faciem ex-
spuit : flagris cæsa in igne obiit. A
puella hac disce unum DEUM
amare.

Propulsa è tepido pectori meo
pigrum & semi-volens-nolens Cor:
& impetra mihi cor amore DEI
constanter ardens ; ne in decreto-
ria æternitatis hora è DEO evo-
mar. Hoc idem, &c. pag. 2.

11. DEC.

S. Daniel, annos 29. in columnâ
stans,

stans, pio supercilio terrena omnia
despexit; ut conversatio ejus vere
fuerit in cœlis. Ubi tua est? Væ si
in terra!

Ora pro me, ut constanter stetim
in amore & timore DEI, ne cadam:
ut sic stantem mors sancta inveni-
at, & deponat in sinu JESU mei.
Hoc idem, &c. pag. 2,

12. DEC.

S. Spiridion ex opilione Episc. fa-
ctus, pauperes pavit: cum opes de-
ficerent, ad ejus preces DEUS ser-
pentem in aurum mutavit. Vide,
quām DEO sit grata misericordia!

Impetra à Patre misericordiarum
& misericordiæ Matre pro me in
agone meo æternam misericordi-
am; ut memorientem ponat inter
æternū viventes. Hoc idem, &c.
pag. 2.

13. DEC.

S. Lucia accepto ad D. Agathæ
tumbam nuncio de morte pro
Chri-

Christo obeunda, cum matris ve-
nia omnia sua pauperibus distri-
buit: quare in igne gladio neca-
ta. Nullibi opes profunt, quam in
manibus pauperum.

Per illos tuos ignes, oro, impe-
tra mihi, ut non ponam fiduciam
meam in opibus terrenis, sed laetus
illas expendam: ut pro illis in mor-
te recipiam divitias coelestes. Hoc
idem &c. pag. 2.

14. DEC.

S. Nicasius Ep. Rhemensis, irru-
ente Artillâ, ut Pastorem decet,
hosti obviavit, ostenditque gregi:
quomodo pro peccatis & DEO de-
berent cadere. Brevi morte æter-
nam redimere, prudentis est.

Ora pro me, ne iram DEI & ho-
stes in me peccatis meis armem,
sed pœnitentiâ placem; ut mori-
ens talis inveniar, qualibus felix
æternitas promissa est. Hoc
idem, &c. pag. 2.

15. DEC.

15. DEC.

S. Ancilla apud Ibēros serviens, divino obsequio se totam tamen impendit; unde Reginæ sanitatem, Regi fidem, & libertatem contulit. Ubique DEO servire potes, si velis.

Ora pro me, ut anima mea impigrè serviat JESU & MARIÆ in vita; ut etiam in morte sit in manibus JESU & MARIÆ. Hoc idem, &c. pag. 2.

16. DEC.

SSS. Ananias, Azarias, Misaël properer DEI cultum in fornacem Babyloniam missi, DEO benedixerunt. Hoc fidelis amici est.

Orate pro me, ut semper mori malim, quām DEUM offendere, & in adversis æquè ac prosperis DEO benedicam, ne mittar in fornacem æternitatis damnatorum. Hoc idem, &c. pag. 2.

17. DEC.

S. Lazarus Christo tam fidelis fuit,

fuit, ut ab ipsomet Amicus dicere-tur. A Judæis propter Christum præter alia exilium passus. Utrum melius, Christi an mundi amicum esse? elige.

Veni ad me, & unà cum SS. So-roribus tuis juva; ut in vita, mor-te & Judicio inveniar amicus JE-SU. Hoc idem, &c. pag. 2.

18. DEC.

S. Modestus à cohæredibus suis in Ægyptum venditus: Jerosolymis deinde Patriarcha factus, vendito-ribus suis benefecit. Disce diligere inimicos.

Impetra mihi, ut illud Christi præceptum: diligite inimicos ve-stros, animo altè imbibā, & opere exequar; ut in morte mea etiam me diligat JESUS. Hoc idē, &c. p. 2.

19. DEC.

S. Megengor Comes & Dux mi-litum, occiso in bello Bohemico fi-lio, mortem & æternitatem medi-
L tando,

tando, se ad mortem paravit. Te mortalem credis? & ad mortem non paras?

Ora pro me, ut seria & frequens mortis & æternitatis memoria me doceat bene vivere; &, quod maximi refert, bene mori, à quo pendet æternitas. Hoc idē, &c. pag. 2.

20. DEC.

SS. Ammon & Socij militem territum, & in fide labantem animarunt: unde ad supplicium rapti gaudentes, quod Cœli civem servâsent. Væ illis, qui perdunt!

Adeste mihi tum in peccandi occasionibus, tum in agône ultimo, & labantem omni ope excitate; ut me DEO servetis, & in beatam æternitatem ducatis. Hoc idem, &c. pag. 2.

21. DEC.

S. Thomas primus Indiarum Apost. incredulus priùs, sed vulneribus & latere Christi palpatis ac census,

census, ut pro eo sagittis & hastâ confixus sit. Finis coronat opus.

Obtestor te per amabile cor JESU, impetra mihi, ut vitam bene finiam; & quæ nunc credo de gloria æterna, illic lætus videam & experiar. Hoc idem, &c. pag. 2.

22. DEC.

S. Anastasia cum alijs navi perforatae propter Christum imposita, S. Theodorâ velificante portum tenuit: ubi palo alligata exusta est. Cœlum suis non deest.

Adjuva me precibus tuis, & veni in auxilium mihi, ne mala navi navigem, néve naufragium patiar in immenso æternitatis mari. Hoc idem, &c. pag. 2.

23. DEC.

S. Servulus paralyticus, inter dolores psallendo, DEO gratias agendo, & lectione sacra, & suam stipem pauperibus largiendo, ad bonam mortem se parabat. Tu fac similiter.

L 2 Effi-

Effice apud DEUM, ut omnes
mei dolores ad mortem bonam me
præparent; ut nimirum eos liben-
ter patiar, quia D E O ita placet.
Hoc idem, &c. pag. 2.

24. DEC.

SS. Adam & Eva primi peccato-
res quidem Cœlum perdiderunt:
se & primi pœnitentes per Christi
merita receperunt. Sequeris pec-
cantes: sequere & pœnitentes.

Adesto mihi nepoti vestro, inter
tot vitæ hujus pericula, & maximè
in ultimo agône; ne me vaferrimus
serpens superet, & à Cœlo avertat.
Hoc idem, &c. pag. 2.

25. DEC.

JESUS Christus Filius. DEI &
Hominis, Verus DEUS-Homo, ho-
die ex MARIA V. natus Bethle-
hemi, mundi Salvator, pannis in-
volutus, reclinatus in præsepio. Nisi
hîc amas, homo non es.

ODEUS in stabulo nascens, ut
pro

pro memoriaris in Cruce! Primam
gratiam peto à te parvule DEUS: ut
morientem suscipias me, ut vivens
& moriens, & posteà æterno am-
plexu complectar te; ut Francisci
tui lachrymis alloquar te, Ignatij
tui silentio amem te, Catharinæ
tuæ Senensis osculis desiderem te,
Bernardi tui ore osculer te, Josephi
tui æstimatione admirer te, MA-
RIÆ dulcissimæ Matris tuæ corde
hauriam te, omnibus Angelorum
obsequijs demerear te, omnibus
tuo & MARIAE cordi devotis cor-
dibus diligam te, & denique in ar-
dentissimi amoris actu emoriar
tuus. Hoc idem, &c. pag. 2.

26. DEC.

S. Stephanus Diaconus ab impijs
Judæis lapidatus, primus pro Chri-
sto sanguinem fudit. Exemplo
Christi, pro lapidantibus se oravit.
Disce: non suprà hominem est, ini-
micis ignoscere.

S. Stephane Protomartyr impetrat mihi, ut exemplo tuo omnia odia in dulci DEI amore absorbeā: ut anima mea in morte cœlos aperitos & videat, & introēat. Hoc idem, &c. pag. 2.

27. DEC.

S. Joannes, Discipulus, quem diligebat JESUS, quique sub Cruce MARIAM accepit in sua. Nihil aliud usque ad mortem suos est adhortatus, quam: Filioli diligite alterutrum. O hanc unam lectionem bene discain!

Ora pro me, ut ex hac hora MARIAM accipiam in cor, animum, cogitationes, verba & opera mea; & illi de me moriente dicat JESUS: Ecce Filius tuus, & illa tunc me recipiat in sua, & Filij æterna tabernacula. Hoc idem, &c. pag. 2.

28. DEC.

SS. Innocentes ab Herode, ut sic simul Christum, quem Magi quærebant,

rebant, tolleret, occisi sunt in Bethlehem Judæ. Quanta furia, ambitione! & tu eam foveas.

Adeste mihi morienti, & me cingite, S. Legio tot millium Innocentum; ut nihil possit contra me in illa hora inimicus, sed per vos DEO sistar inaculatus. Hoc idem, &c.
pag. 2.

29. DEC.

S. Thomas Archiepisc. Cantuar. pro Ecclesia exilium & mortem passus: ut suis caveret, hostibus obviām ivit. Suis è feretro benedixit, & Regi pœnitens cor impetravit. Qui verè amat, in finem amat.

Benedic etiam è Cœlo mihi, per mortem abeunti in tumulum, & impetra mihi cor pœnitens; ut ad palmam possim æternam aspirare. Hoc idem, pag. 2.

30. DEC.

S. Philæterus Adol. ob formæ
L 4 decus

decus multum hominibus, ob virtutem Superis plurimum amabilis, in maluit per tormenta formam, quam fidem relinquere. Haec pulcheritudo vera est; altera vana.

Impetra Animæ meæ virtutis pulcheritudinem, quâ DEO placem; ut in amabili pulcheritudinis fonte DEUM æternum contuler. Hoc idem, &c. pag. 2.

31. DEC.

S. Sylvester Papa Constantiū, monitu SS. Petri & Pauli accessitus, baptizavit, & lepram ejus extinxit. Peccati leprâ vis liberari? lachrymis baptizare.

Extingue in me omne id, quod exitio esse animæ meæ potest; & aufer à me, quidquid oculis DEI displicere potest.

Hodie annum, mi DEUS, hunc finio, dum multi per orbem finiunt vitam: da mihi felicem diem & horam ultimam ultimi anni vitæ meæ.

meæ. Doleo de omnibus , quæ
hoc anno & aliæ commisi, malis;
& quæ ullus commisit: gratias ago
de omnibus, quæ à te hoc anno, &
aliæ accepi bonis; & quæ accepit
ullus: gaudeo de omnibus, quibus
hoc anno à cœlo & terra cultus es
honoribus: & per omnium Sancto-
rum, quos hic annus cœlo trans-
scripsit , intercessionem supplex
peto felicem exitum ex his annis
momentaneis, & felicem ingres-
sum ad immortalem æternitatem,
in qua JESUM & MARIAM cum
omnibus Angelis, & Sanctis æter-
num amem & laudem. Hoc
idem, &c. pag. 2.



L S FE-



FESTA MOBILIA.

*Ad Sanctum tui Nominis, quo die
occurrit, vel semel in mense.*

S. N. Cujus patroncinio & nomine
jam ab ipsa hora Baptismi me
DEUS munivit, respice ex illa æter-
næ securitatis Urbe me h̄ic inter
quotidiana æternūm pereundi pe-
ricula exulem, & juva: ut felicem
hujus Nominis Catalogum nomi-
ne meo augeam in libro vitæ. Tol-
le à me, quod me impedit, & im-
petra id, quod mihi magis expedit
ad salutem: nec me desere, usque
dum unà tecum corām DEUM vi-
deam & amem in æternum.

FERIA IV. CINERUM.

ADrēpo cinere aspersus ad te,
cùm sim pulvis & cinis, DEUS
meus, qui tuum altare olim cinere
mundare jussisti. Da mihi felicium
& infeliciū cinerum sapienter me-
mi-

minisse; ut à cineribus damnatorum discam te timere; cineres vero Sanctorum ignem amoris tui in me custodiant. Munda cor meum, velut tuum altare, veræ pœnitentiæ cinere, & accipe omnia mea jejunia: quæ cum jejunijs JESU, MARIAE, & omnium SS. conjungo, ut tibi placeant: & me mensæ tuæ coelestis post hanc vitam facias partipem, qui verè pœnitentibus pro cinere das coronam.

FERIA V. CŒNÆ DOMINI.

Prostratus coram te, ad Judæ pedes prostrato, divinas tuas manus adoro & exoscular; metimque cor ad Apostolorū pedes à te lavandos abjicio: ut illud simul ablucas, & Eucharistico tuo epulo deinde saties. O amabilissime JESU! Gratias tibi ago, pro infinito illo amore, quo in hoc SS. Sacramento te totum mihi cum corpore, & anima, carne & sanguine, Divinitate

tate & Humanitate dedisti. Da, ut
vicissim me totum tibi reddam : &
ut in fine vitæ meæ non nisi hoc Sa-
cramento munitus, ingrediar viam
æternitatis.

FERIA VI. PARASCEVES.

SAlve JESU Nazarene, Rex Jū-
dæorum ! Vesperi pedes lavans,
orans, sanguinem sudans , capte ,
vincere: Nocte illa apud Annam &
Caipham : Manè factō in aulis Pi-
lati & Herodis accusate , percusse ,
illusē , flagellate , spinis coronate :
horâ sextâ Crucifice: per tres ho-
ras pendens , & sole obscurato Pa-
trem, Matrem, Joannem , conver-
sum latronem allocute: horâ nonâ
voce magna clamans & exspirans:
serò de Cruce deposite ac sepulte !
Ecce horas omnes tuis cruciatibus
mihi implevisti : tuæ sint ergo om-
nes & singulæ horæ meæ. Rogo te
per illum amorem , quo me dilexi-
sti usque in finem , da mihi gratiam
illam

illam efficacem, ut te omnibus ho-
ris vitæ meæ amem, nec amare
priùs desinam, quàm vivere.

DIE PASCHATIS.

SAlve JESU, gloriosissime Victor
mortis, à morte hodie resur-
gens! O vere Agne, qui abstulisti
peccata mundi! aufer & mea: qui
morté nostram moriendo destru-
xisti, destrue & meam: qui vitâ
resurgendo reparâsti, repara &
meam. Regna in me: ne regnet in
me peccatum; & da mihi, ut totus
vivam tibi: mihi, Mundo, & Carni
planè mortuus: ut ita hora mortis
meæ sis felix Pascha, hoc est, transi-
tus ad vitam in Urbe illa, per cuius
vicos perpetuū cantabitur Alleluja.

DIE ASCENSIONIS.

Adoro te, Victoriōse Triumpha-
tor JESU, qui ascendens hodie
in altum, captivam ducis captivita-
rem: O! illam etiam captivitatem
in triumpho tuo duc captivam, quæ
me

me captivum tenet , ne liberè te
amem. Ideo flecto genua mea sup-
plex , & rogo per admirabilem Af-
cisionem tuam, ut benedicas mihi
in benedictionibus dulcedinis tuæ,
& trahas me post te ; ut sicut S. tuo
Ignatio , ita & mihi sordeat terra,
dum cœlum aspicio : ut te in hora
mortis meæ sequar in cœlum.

DIE PENTECOSTES.

VEni, ô Amor DEUS! Veni Nu-
men & Lumen ! mitte ignem
tuum in omnia ossa mea , & erudi
me. Da linguas igneas , & doce me
tacere & loqui : lava, riga, sana,
flecte, fove, rege sordidum , aridū,
faucium , rigidum, frigidum; deviū
cor meum : & fac, ut DEUM suum
verè amet. Da mihi amorem , ut
exurat in me multitudinem pecca-
torum meorum, & me accendat ; ut
tibi in holocaustum nunc & in hora
mortis meæ, & in æternum ardeam.

FESTO

FESTO SS. TRINITATIS.

Credo, spero, amo te, SS. Trinitas unus DEUS! offero tibi pro libello supplici omnia merita JESU, MARIÆ, omniumque SS. & rogo, ut tuis beneficijs bene utar semper; ut nunquam te offendam; ut semper faciam, quæ tibi placent; ut te sancto timore timeam, & perfecto amore amem, totâ vitâ meâ & in hora mortis meæ, usque dum te videam DEUSTRine, & te fruar, ô bonitas infinita! in æternum.

FFSTO CORPORIS CHRISTI

Domine JESU, in hoc Amoris Sacramento abscondite, da ut hoc Sacramentum sit mihi amoris veri Gymnasium, qui me ipso me exutum faciat, ut per totam vitam, id quod tibi placet, quærar; tibi annuam, cùm aliquid inspiras: mihi verò omnia negem, quæ dictat amoris proprij instinctus. Fac ut amorem dolore acuam: dolore cor-

cordis de tanta mea ingratitudine,
dolore corporis, in illius odio amo-
re tui suscepto. Fac , ut quidquid
agam , agam instinctu amoris tui ,
quo ad recipienda in hoc Sacra-
mento tuam gratiam semper magis
idoneus reddar. Fac ut semper ad
hoc Sacramentum tuum sumen-
dum me præparem , quasi ultimò
& pro Viatico sumpturus : ut deni-
que sicut per illud futuræ gloriæ
nobis pignus dedisti , ita per illud
particeps fiam æternæ
gloriæ tuæ.





FESTA

**SS. PATRONORUM
CARNIOLIAE.**

APRILIS.

23. APR.

S. Servulus, Nobili genere ortus,
12. annos natus, Eremiticam
vitam amplexus in antrum, quod
hodie dum in Castro S. Servuli in-
terioris Carnioliae visitur, secessit.
An. 282. Junilio Præside in vincu-
la conjectus, cùm idolis sacrificare
renueret, equuleo tortus, aliisque
cruciatis affectus, tandem jugu-
latus, Martyrij palmam obtinuit.
Sic cadendo assurgitur ad gloriam.
Impetra mihi, &c. vid. diem 11.
Augusti. Hoc idem, &c. pag. 2.

M

MAJUS

M A J U S.

29. MAIJ.

S. Maximus Ep. Æmonen. Carnioliae fulgidum sidus, incolarum fidus Pastor, decus, & protector, quos detersa veteris impietatis caligine, Evangelicæ veritatis lumine illustravit, sub Decij persecutio- ne capite plexus, ad debitam apud superos zelosissimæ fortitudini suæ coronam evolavit. Quàm bene caput ponitur, ut sic coronetur. Impetra mihi illum perfectum amorem DEI, &c. vid. diem 11. Maij. Hoc idem, &c. pag. 2.

J U N I U S.

22. JUNIJ.

S. Achatius Martyr. Patronus primarius universæ Carnioliae, cu-
jus intercessione & patrocinio Ann.

1593.

1593. Turcæ ad Sisekum ingenti
clade profligantur, & à finibus Pa-
triæ, nè ultrò noceant, averun-
cantur. Inter tormenta invictus
Athleta se ac Tyranno major, ne
æternū cœlo moreretur vitam
amisit. Nunquam victurus in glo-
ria, si maluisset perfidus vivere,
quām occumbere fidelis. Ora ut
vincam semper, &c. vid. diem 26.
August. Hoc idem, &c. pag. 2.

A U G U S T U S.

28. AUG.

S. Pelagius Civis Æmonensis
Nobilibus & opulentis parentibus
Pelosiâ, & Hilariâ ortus, Patronus
ejusdem Civitatis, qui sub Nume-
riano Imperatore & præside Evi-
lasio in vincula coniectus, equuleo
tortus, aliisque tormentis triduo
cruciatus tandem gladio decola-
tus. 25. Annos natus de Idolorum

superstitione victor triumphavit
 An. 284. nec hoc trinum perfe-
 ctum fuisset, nisi finis talis totum
 opus coronâisset, adeò perseveran-
 tia omnis perfectionis comple-
 mentum est. Impetra mihi gra-
 tiam &c. vid. diem 9. Septembris.
 Hoc idem &c. pag. 2.

S E P T E M B E R.

26. SEPT.

S. Nicephorus Episc. Petinen.
 admirandæ prorsus submissionis,
 charitatis, patientiæ, & mansuetu-
 dinis, nec non in pravorum refor-
 matione morum pervigil pastor.
 Omnibus blandus, durus solus sibi
 rigidusque censor. Magni crimi-
 nis per summum nefas accusati in-
 nocentiam cœlites raro exemplō
 manifestarunt. Quantum à tui
 cura deficis, tantum Numinis de te
 crescit sollicitudo. Ora pro me vi-
 ven-

vente, &c. vid. diem 19. August.
Hoc idem, &c. pag. 2.

O C T O B E R.

3. Октябрь.

S. Vitalis Martyr. Nobilis Romanus. Cujus sacrum corpus Labaci in Cathedrali Basilica colitur. Pietate sua contra Idola perseverantiâ contra Tyrannum Domitianum dimicavit, victor utriusque martyrij palma in cœlis corruscat. Disce hic pati, ut ibi quiescas. Assiste mihi, &c. vid. 15. Septembri. Hoc idem, &c. pag. 2.

5. Октябрь.

S. Peregrina V. Nobilis Romana 1660. huc translata in æde Divo Josepho sacra stabile sibi post fata fixit domicilium, ubi in vita corde & animo habitabat. Tyrannitum blandimenta tum sævitiam virili constantia elludens plumbatis cæfa virginitatis & martyrij laurea insignita

262 FESTA SS. PATRON.

signita occubuit, an non sponsa per omnia similis dilecto candido & rubicunda? En ego humilis corde &c. vid. diem 16. Julij. Hoc idem &c. pag. 2.

27. OCTOB.

S. Florius Episc. primitivæ Eccles. Aemonen. Catholicæ fidei firmamentum Idolorum destructor, Evangelij præco: à teneris virtutí deditus, totum vitæ cursum intermeratis moribus, DEIque timore commendatum egit. Mira svavitate & amabilitate sibi concreditum gregem demeruit, & indemnen inter turbines servavit. Ovis esto, si talem cupis habere pastorem. Excita in me, &c. vid. diem 14. Octobris. Hoc idem &c.

N O V E M B E R.

12. Nov.

SS. Januarij & Soc. Mart. quorum sacra lysana in Ecclesia Divi Jacobi

Jacobi Soc. JESU hac die publicæ
venerationi exponuntur. Posuere
hi pro fide animas, ut eas in vitam
æternam invenirent, dum inter
cruciatus invicti, non tam tormentorū
quam amoris victimæ superata
Tyranni immanitate è mundo
ad condignam fortitudini & chari-
tati mercedem in cœlum evolâ-
runt. Orate pro me &c. vid. diem
9. Augusti. Hoc idem &c. pag. 2.

Reliquorum SS. Patronorum
festa, utpotè S. Nicolai Episc. Ca-
thedralis Basilicæ Labacen., & S.
Georgij Mart. Civitatis Labacen.
Tutelarium, nec non SS. Herma-
goræ, & Fortunati, à quibus uni-
versa Patria, ab ipsis Ecclesiæ incu-
nabulis orthodoxæ fidei lacte in-
stillato fuit enutrita, suo
loco congruo re-
peries.

F I N I S.

CARNIVORE

scilicet secundum pacem quae dicitur
estimatio exponitur. Propter
quod est in se ipso etiam in aliis
modis sicut in rebus ratione
et actione et causatione non
estimatio nisi sit in aliis modis
et hoc est estimatio in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.

estimatio non sit in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.
Est enim in aliis modis non
estimatio nisi sit in aliis modis.



